Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Nathan Chyträus

NATHANIS CHYTRAEI || ORATIO || DE OFFICIIS ADO=||LESCENTIAE LITTE-||ratae, nuper in solemnita-||te Actus Philosophici || habita.|| Cui praeter alias eiusdem nondum hactenus e-||ditas, acceßit etiam Oratio || PRO Q. HORATIO FLACCO.|| Item quadam sui parte hactenus mu-||tila, sed iam integra || ARNOLDI BVRENII V. CL. ORA-||tio Funebris, de illustriss. MAGNO || Duce Megapolitano.||

Rostock: Möllemann, Stephan, 1586

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn100069433X

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

stock
917

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn100069433X/phys_0001

Recensionem hujus Libelli vid. im Versuch von gelehrten Rostockschen Sachen de a. 1739. pag. in. 254. sqq.

Mk-7917.
3024.

NATHANIS CHYTRÆI ORATIO DE OFFICIIS ADOLESCENTIÆ LITTERATÆ, nuper in solemnitate Actus Philosophici habita.

Cui præter alias eiusdem nondum hactenus editas, accessit etiam Oratio

PRO Q. HORATIO FLACCO.

Item quadam sui parte hactenus mutila, sed iam integra

ARNOLDI BVRENII V. CL. ORAtio Funebris, de illustriss. MAGNO Duce Megapolitano.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

ROSTOCHII
Excudebat Stephanus Myliander.
ANNO
CIↃ. IↃ. XXCVI.

1764.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn100069433X/phys_0003

NATHAN CHYTRÆVS ANDREÆ LADEBACH BRATISLAVIENSI. S. D.

Cum ANDREA LADEBACHI tanta non solum in veteribus, verum in recentibus quoq; , siue ij sacri siue profani habeantur, auctoribus eorum sit multitudo, qui suas de recta & commoda iuuentutis institutione, omnibusq; eiusdem officij partibus cogitationes & consilia iampridem cum alijs scriptionum suarum monimentis communicarunt: superuacaneam profectò operam sibi sumere, idq; non immerito videri possit is, qui, hoc præsertim eruditissimo sæculo, quo non tam scientiam quam conscientiam; non tam intelligendi & dicendi facultatem; quam bene agendi & viuendi studium & voluntatem plerisq; deesse, omnes fateri cogimur, de re eadem denuo scribere, aut sermonem instituere, hoc est, actum agere, seu post Homerum Iliada meditari non vereatur. Quocirca cum nuper ego quoq; ratione officij, quod tum sustinebam, publicè aliquid eo in genere, idq; more philosophico dicere statuissem: operam mihi dandam esse existimaui, vt non tam hinc inde aliorum de officiis adolescentiæ litteratæ prolixas et spinosas quæstiones, disputationes, et præcepta conquire-

quirerem: quam vt eorundem summas & capita primaria, in vnum veluti fasciculum colligerem: eaq; per quædam quasi ἐγκελεύσματα seu exhortamenta, quæ etiam optimis quibusq; necessaria esse constaret, studiosæ huius Academiæ iuuentuti, quam possem breuissimè, sed luculenter tamen, consideranda proponerem. Atq; ita, cum aliter non liceret, hoc saltem modo aliquos eo in cœtu modestiores, vel languentes & somnolentos excitarem: vel strenuè sua sponte currentes, hoc ipso modo, tanquam calcaribus adhibitis exstimularem: & in proposito tam honesto & laudando, quantum quidem in me esset, confirmarem. Spero autem illam ipsam operam meam nonnullis etiam alijs ex auditoribus nostris non minus tum iucundam & fructuosam accidisse; quam tibi, Andrea suauissime, illam fuisse, apud complures & æquales & amicos tuos, tanta quidem cum animi promptitudine & alacritate es testatus; vt tuum illud de hac qualicunq; oratione nostra præconium non potuerit tandem non ad meas quoq; aures, amicis scilicet internunciis, peruenire. Ex quibus quidem ipsis cum de præclara hac tua sententia & voluntate cognouissem; etiamsi à leuissimo illo inanis gloriolæ pruritu alienissimus essem: & in hac ipsa oratiuncula meditanda nullam omnino meæ, sed potissimam & maximam diuinæ gloriæ, & publicæ multorum, præsertimq; adolescentiæ vtilitatis rationem habendam mihi

esse censuissem: tamen non potui non animum illum tuum tam integrum & erectum mirificè probare: eiusq; nomine mihi gaudere; tibi verò cupidißimè gratulari. Inter alia enim præclaræ ad virtutem indolis indicia, non postremum semper à viris doctis habitum est, si adolescens aliorum quorumcunq; vel dictis vel factis honestis et laudabilibus, etiam in lubrica illa ætate, plurimum affici & delectari animaduerteretur. Hanc enim ipsam delectationem cum admiratione quoq;, & amore ac studio honestatis coniunctam esse; cui tandem etiam suo tempore præclaræ actiones successuræ sint, dubitari nec potest nec debet. Cur igitur de tuo quoq; hoc animo, doctrinarum et adhortationum honestarum et salubrium tanto amatore & præcone, non optima quæq; mihi pollicerer? eiusq; te nomine quam lubentißimè collaudarem: et quocunq; possem modo te in instituto hoc tuo tam egregio & confirmandum & adiuuandum esse censerem? Præsertim cùm non solum ab optimo et CL. viro D. Iacobo Monauio aliquoties quàm accuratißimè mihi commendatus sis: cuius ego causa quantum & cupiam & velim, aliàs ex me audiuisti: verum origine quoq; materna florentißimæ Rhedingerorum & Morenbergerorum familiæ proceribus sanguine sis coniunctus. quarum vtraq; in incluta, & tota Europa εὐνομίας καὶ εὐταξίας nomine celebri, præclareq; constituta Bratislauiensium Republica ἀριστεύειν, non immerito exi-

to existimatur. Cui enim paulo saltem alijs plebeijs elegantiori & prudentiori incognitum est nomen Ioannis Morenbergeri patrui tui magni, non tantum senatoria dignitate in eadem repub. conspicui; verum litteris quoq; et doctrinis liberalibus ita exculti, vt eo nomine honestißimæ patriæ & familiæ non solũ ornamento sed etiam præsidio esset. Huius patrui sui vestigijs præclarè quoq; insistere cœperat, primariæ fœminæ Catharinæ Morembergeræ honestißimæ matris tuæ frater germanus Franciscus Morenbergerus, qui domi liberaliter educatus, & liberalibus disciplinis expoliri cœptus, deinceps cum alibi; tum in ipsa quoq; Italia integrũ sexennium studiis optimis & rectißimis totum se dedidit: inq; ijs ita profecit; vt totam iam patriam in spem honestißimi reditus sui erigeret. verum, vt sunt mortalia, in ipso pæne itineris optatißimi apparatu ibidem occubuit: magnumq; sui desiderium cum apud exteros bonis omnibus; tum imprimis in patria propinquis & gentilibus suis reliquit. De eiusdem verò matris tuæ amitinis, nobilißimis fratribus Rhedingeris silere forsan satius fuerit, quam pauca dicere. Cui enim incognitus esse potest vrbis vestræ, à capite iam vulgò nomen habens, summa cũ potestate præfectus vir nobiliß. D. Nicolaus Rhedingerus? cuius dignitas propterea, vt olim, ita nunc quoq; magna est; quod ea non nisi sapientißimis fortißimisq; viris, et de patria præclarè meritis tribuatur. Quam

ille etiam summa cum moderationis, iustitiæ, integritatis & magnificentiæ laude egregiè administrat. Huius autem Nicolai fratris germani, nobiliß. Dn. Iacobi Rhedingeri, etiamsi honestißimis studiis intentus nullam sibi partem reipub. suo quodam iudicio attingendam statuerit; tamen ideo quoq; libentius mentionem hic facio; quod etiam peculiari beneficio, nullo pæne merito meo, ipsi sim obstrictus. Vbi enim versiculos quosdam meos, quibus ego fratris ipsius, optimi & beneficentißimi liberalium ingeniorum & studiorum patroni, Dn. Thomæ Rhedingeri Coloniæ tum recens extincti tumulum bono sanè animo cohonestaram, reliquis poëmatis meis insertos, amicorum quorundam admonitu vidisset; tanquam fratris defuncti manibus hac quoq; ratione gratificaturus, missō honorario præclaro, mihi vix de nomine sibi noto, gratias censuit referendas. Quod ne quis in amplißima illa et copiosa familia nouum esse putet; sciat is, complures alios, etiam in regionibus exteris, intimaq; adeo Gallia viros doctos, eam ipsam familiæ huius alibi inauditam benignitatem & munificentiam desideratiß. fratris causa etiam ab illius morte susceptam, publicis quoq; scriptionum suarum monimentis celebrare. Quo autem hoc ipsum est rarius; eo etiam laudabilius & præclarius esse non immerito perhibetur. Quid iam de auunculo tuo magno D. Iohanne Aurifabro, non professione tantum et titulo, sed vita quoq; & moribus

reuera

reuera Theologo dicam? quando nomen illius non solum in patria; verum etiam vbiuis terrarum, in quibus scilicet aliquis pietati et virtuti adhuc locus relinquitur, inter viros verè pios et bonos celeberrimum & iucundißimum est. Vtpote cuius memoriam ne Boreas quidem, quantumuis hic sæuus et violentus, popularibus hisce nostris ex animis penitus potuerit exturbare. Viuunt enim etiamnum testes omni exceptione maiores non pauci, qui ante annos triginta Aurifabrum hunc nobili et firmißimo illi salutis nostræ, quod Christus ipse est, fundamento, non humanarum opinionum & magniloquentiæ mundanæ somnia & ampullas; aut errorum semel mordicus arreptorum recrementa & quisquilias; sed obrisum illud et purum putumq; veritatis et simplicitatis Christianæ aurum superstruentẽ, id est, non solum in Academia simul et Ecclesia hac Rostoch. piè viuentem et docentem viderunt et audiuerunt: sed eundem quoq; in initijs constitutionis Ecclesiarum Megapolitanarum sincerè et fideliter faciendis, vrgendis & adiuuandis, vnà cum alijs accuratè et strenuè laborantem cognouerunt. Qui quidem omnes, præter singularis doctrinæ, prudentiæ, humanitatis & moderationis laudem, etiam serium veræ pietatis, φιλαληθείας, φιλησυχίας, ἀτυφίας, ἀφιλαργυρίας καὶ καλοκαγαθίας studium, ab omni psychotyrannide alienißimum, in eo mirificè commendant. Quarum quidem ipsarum virtutum

nomine cum patrijs, tum alijs quoq; Ecclesiis deinceps quoq; cum innotuisse, & earum fuisse; imo adhuc hodiè in multorum oculis & memoria viuere, dubitari non debet. Quid deniq; de integerrimo honestißimoq; parente tuo D. Andrea Ladebachio tibi cognomine dicam? qui vt veneranda canitie, & senili grauitate omnes prope æquales suos antecedit; sic vitæ quoq; innocentia, humanitate, imprimisq; vera pietate tibi totiq; adeo popularium tuorum multitudini exemplo esse posßit. Propter hæc igitur & similia, partim tibiipsi propria; partim ad familiam quoq; vniuersam pertinentia ornamenta, neminem hoc quidem tempore magis oportunum iudicaui Andrea ornatißime, cui hic qualiscunq; libellus meus inscriberetur, quam te, cui scilicet propter tanti amici commendationem, multasq; alias causas, iampridem etiam peculiari aliquo modo meum amorem & gratificandi studium testatum facere in animo habuissem. De ea autem quæ ordine prima est Oratione, quam aliàs tibi satis commendatam esse scio, plura hic non commemoro. Vnum tantum paucis indico, me in ea meditanda & scribenda præter communem iuuentutis scholasticæ vtilitatem, meorum quoq; potißimum filiolorum, quos paullatim adolescere viderem, emolumentum & commodum spectasse. Vt nimirum illi me vel viuo, vel etiam sepulto, præter institutionem catecheticam, veluti summam haberent eorum ferè omnium, quorum consideratione et recorda-

cordatione accurata, existimarem adolescentem ingenuum, neq; prorsus impium, et lubricas istas vitæ humanæ vias tutius ingredi; & in ijs à lapsu eo circumspectius sibi cauere; aut certè lapsum quamprimum resurgere, & ad metam propositam nihilominus contendere et peruenire tandem posse. Quo sanè ipso nomine omnibus eam bonis et gratiorem & iucundiorem fore confido. Reliquum est, vt quæ auribus et cogitatione percepta hactenus tam iucunda tibi fuerunt; ea vsu quoq; & reipsa multo iucundiora esse experiaris: atq; ita vna cum Cicerone de te quoq; verè gloriari possis. Te scilicet in vita tua, nulla vnquam voluptate tanta esse affectum, quanta afficiare hac, quam Oratio tantopere tibi commendat, integritate & continentia. vtpote in quibus ipsis non tam fuga voluptatis, quam voluptas ipsa potissimum versetur & consistat. Neq; te tam fama et gloria inde oriente; quam rei ipsius pulchritudine & excellentia delectari. Ad orationem pro Horatio & reliquas quantum spectat; existimo eas quoq; tales esse, quæ cum fructu aliquo à bonis adolescentibus cognosci possint. Id quod eos reipsa potius, quam mea prædicatione animaduertere cupio. Orationem verò Burenianam quam ob causam in fine subijci voluerim, ex programmatio ei præmisso intelliges. Et certè si olim lucerna Epicteti, & baculus nescio cuius philosophi Stoici in tanto pretio fuerunt; vt illam mille drachmis; hunc vero etiam

talento aliqui emere non dubitarint: multo magis hæ tam præstantis viri, & ingenij tam præclarè de his partibus Germaniæ meriti reliquiæ, omnibus bonis & gratis acceptæ & iucundæ esse debent. Faxit Deus, vt tam præclarè iactis adolescentiæ tuæ fundamentis cætera quoq; eodem modo respondeant. hoc est, vt ingenium & iudicium hoc tuum paullatim ætas magis magisq; illustret: vsus & experientia confirment: doctrina perpoliat: vt sic parentum tuorum curæ & sollicitudini; & propinquorum, quæ multa de te excitata est, spei & expectationi satisfacere cumulatè possis. Vale. Rostochij, VI. Cal. Martij. Anno 1586.

IOANNES CASELIVS ANDREÆ LADEBACH S. D.

CVm te, Andrea Ladebachi, per litteras alloqui constituerim, faciam hoc, vt eo genere vti solemus. Nam & familiariter tecum agam, nec adhibebo splendorem orationis, & quædam altius repetam, vel fusius exponam, quàm in quotidiano sermone, quamuis accurato facimus. Nec vero faciam hoc, quòd opus esse arbitrer: neq; enim aut ego aliquid in te desidero, neq; tu de meo animo potes dubitare: sed vt quod tute scis, ceteri quoq; cognoscant, & tibi & tui similibus à me rectè posse exspectari omnia, quæ ad vestros animos ita excolendos faciant, vt & aliquando vobis

vobis ipsimet placeatis, vbi vos ea fuisse assecutos senseritis, quorum pœnitere bonum possit neminem, & respublica eiusmodi alumnis & ciuibus gaudeat, quorum hodiè passim gentium magna sane penuria, & fortè vix aliquo seculo prouentus est vberior. Non erit igitur prorsus hæc opera supernacanea, si dum te confirmo, alios simul erudiam: quod nisi haberem mihi propositum, hoc equidem scribendi labore prorsus mihi supersedendum putarem: tecum tamen agam potissimum, quem vt primum ad nos è patria venisti, statim amauimus, vti scis. A doctissimis enim & mihi charissimis hominibus litteras ad nos ferebas, quibus gratificari cupieremus maximè, tum quia hoc faciunt amici, tum vt recognoscerent, se tanti à nobis fieri, quemadmodum crederent Nam quid est humanius ciue tuo Iacobo Monauio? quid doctius? quid denique sincerius? qui cum hominibus longinquis, doctis ijsque bonis viris sanctè amicitiam colit: non multitudinem amicorum secutus, sed virtutem & litteras. De Alberto Vrsinio, qui vestræ quoque ciuitatis veluti insititius ciuis est, quem à puero ob aciem ingenij diuinam, & indefessum doctrinæ studium, simul hic amauimus & admirati fuimus, dicam paucius. Ipsum equidem florere omnibus rebus gaudeo, & dignum secunda esse fortuna iudico. Qui ab illis veniant, nobis chari sint; qui litteras ferant, non sint? præsertim scriptas accuratius. Quas si nullas attulisses, solum patriæ tuæ nomen facilè tibi pararet omnium beneuolentiam. Ne enim dicam de Bratislauiæ ædificijs tum priuatis, tum publicis, non de opi-

bus,

bus, non de diuitijs, & omnium rerum abundantia; non de multitudine & industria hominum, sed de humanitate, & præstantia, hoc est virtute & sapientia ciuium. Cum autem illa, tum hæc potissimum argumento sunt summi studij rectæ educationis liberorum. In qua autem ciuitate eius prima habeatur ratio, nullum dubium est, eam non multum abesse à vera ratione beatæ vitæ, & eius gloriam per multas orbis partes disseminari. Hoc patriæ tuæ contigit. Tuorum enim ciuium virtus multiplex, & litteræ omnis generis exquisitæ non solum per omnem Germaniam, sed etiam per Galliam & Italiam, cum plurium ore, tum scriptis cultissimis doctissimorum hominum celebrantur. Nec mihi difficile foret & familias, & homines vestros mihi notissimos, & amicissimos prædicare, inquibus eximia sunt cum cætera bona, tum ea quæ propriè nostra esse sapientes censuerunt. Vides, Andrea, quæ me mouerint, vt te aduenientem statim fuerimus complexi beneuolentia nostra. Quæ omnia nisi fuissent, ipse tamen ferebas tecum, quæ intelligentium eorundemq; bonorum virorum animos tibi facilè conciliarent. Ipse enim ex vultu, etsi physiognomices fortè parum peritus, facilè iudicium facio, si mores simul intuear & sermonem. Quos ita in te probabam, vt non minus mihi de te haud vulgaria pollicerer, quàm & ciues tui, & alij fecissent. Nec fefellisti hactenus opinionem nostram, ac nobis etiam tacentibus institutum persecuturus esse videris. Cum enim, quando nondum intelligebas, neq; dignitatem litterarum, neq; vtilitatem, siue quis res suas, siue communes considera-

sideraret, omnes neruos intenderis, vt in ijs artibus quibus te parentes destinassent, proficeres; Igitur ætate prouectior, quando intelliges non solum à nobis monitus, sed etiam per te ipse, & in omnibus rebus humanis studio sapientiæ, & virtutis nihil esse omnium anteponendum, & ex hoc ipso prouenire fructus veros, mirificos, vberrimos, & priuatim, & publicè. Hinc est quod Græcus poeta ipsam panaceam de capite Apollinis guttatim delabi canit, & in qualciuitate id fiat, eam idem beatam prædicat: ac si dicat, saluti publicæ seruire bonas litteras. Sed audi ipse perelegantes Callimachi versus.

Αι δὲ κόμαι θυόεντα πέδῳ λείβουσιν ἔλαια.
Ου λίπος Απόλλωνος ἀποστάζουσιν ἔθειραι,
Αλλ' αὐτὴν πανάκειαν. ἐν ἄστεϊ δ' ᾧ κεν ἐκεῖναι
Πρῶκες ἔραζε πέσωσιν, ἀκήρια πάντ' ἐγένοντο.

Hoc igitur à te exspectatur, vt honori sis patriæ, quam ornare nulla ratione potes, nisi etiam iuues: non potes iuuare vllis rebus maioribus, quàm consilio. Consilium autem est ipsa panacea qua mederi plerisq; morbis siue incommodis, siue miserijs mortalium, hominibus concessum est: qui est gradus ad felicitatem proximus. Nam in rebus humanis non minima felicitatis pars est, carere molestijs et calamitatibus: atq; in ijs siue auertendis siue mitigandis pænè omnis sapientia occupatur: antè certe occupari necesse est, quam cetera bona, quibus vti fruiq; valeamus, firmiter constituantur. Quin certi generis bonorum, quamuis necessariorum ea mihi videtur esse ratio, vt qui

ijs non

ijs non benè prorsus vti didicerunt, quod in paucos cadit, illis ipsis deteriores, & miseriores fieri videantur. Diuinitus igitur factum fuerit, vt cum aduersis maximam vitæ partem luctemur, quò minus miseri simus, & si fieri possit, ad aliquam vitæ commodioris partem perueniamus. Sed eadem opera priuatis tuis rebus consules. Nam quę tu colis studia & opes pollicentur; quas sine modo maxima pars spectat mortalium, & dignitatem, quam principes etiam ciuitatis sibi minimè negligendam putant: boni autem vtriusq; illius boni rationem sectandi non negligunt, neq; violant. Postquam enim ingenium tuum diligenter bonis litteris subigi passus fuisti; tradidisti te disciplinæ iurisconsultorum: in qua non exemplum plurium, qui spem diuitiarum & honorum animo conceperunt, sed rationem secutus es, siue ij secuti sunt, qui tibi huius consilij auctores exstiterunt, in quibus me quoq; profiteor. Videmus enim & publicè & priuatim maximum iuris vsum esse, & bonos viros, qui eius sibi pleniorem scientiam compararint, tum priuatis familijs, tum reipub. vsui esse maximo. Quod igitur cæpisti non ita pridem, colendum tibi constanter esse existimes. Nec vero te magnitudo laboris ab instituto deterrebit, neq; Sirenum carmina alió pellicient. Res enim magnas qui animo concepit, eum oportet voluptatibus, quæ se in sensus facilè insinuant, nuncium remittere, & quæ vulgo videantur difficilia & aspera, audacter adire, patienter tolerare, & magno animo superare. Vides quid de te nobis promittamus: tu da operam, ne fallas nostram de te exspectationem, euadasq; verè

πολι-

πλιπκὸς: ac prorsus caueas, ne imperitis aliquando multum videaris nosse, cum nihil noueris, aut ne paullo peritioribus aliquid nosse videaris, cum parum noueris: aut ne partem sic satis teneas, alteram non attigeris. Nec tamen ego is sum, qui fingam aliquem, qui nusq̃ fuerit, nusq̃ sit, nusq̃ futurus sit, ad cuius exemplum te formari perficiq̃ velim. Ipse iam tenes, quæ in principe ciuitatis, aut eo, qui de capessenda aliquando repub. cogitet, requirantur. Præter legum cognitionem multiplici doctrina opus est: quæ vnde petenda sit, quantumq̃ ad eam poëtæ, quantum oratores, quantum historiæ, quantum philosophia conferat, neq̃ huius loci est explicare, & ex nobis sæpe audiuisti. Sic sentiebat clarissimus ille Pericles, cognoscenda esse, quibus opus sit: idemq̃ se eloquentiæ laude non carere sine arrogantia gloriabatur: indicans & illam esse in ciuitate necessariam. Verum hoc studio tu quoq̃ delectaris, et in eo te ita exerces, vt ex illo breui laudem singularem reportaturus videaris. Nec non hic ipse Xanthippi filius docet, quem scopum vnusquisq̃ ciuium sibi propositum habere, quem, vt à vero fine prorsus abducentem in contrarium, vitare oporteat, quando se ostendit amantem patriæ, & alienum ab auaritia. Qui enim non in hoc incumbit, vt de ciuibus & genere mortalium bene mereatur: ei nullam partem reipub. rectè credi existimandum est: nec qui se ad cumulandas opes, ad ambitionem, ad voluptates, aut similia horum studia conuertit, aliter quàm & de se, & de patria malè mereri potest. Inprimis immoderatum pecuniæ studium capita-

capitalis in vita pestis est, & latissimè patet. Quapropter à principio ἀλεξιφάρμακα quemq; sibi parare oportet ex intimis sapientiæ arculis deprompta. Quod te quoq; facturum, hoc magis de te mihi persuadeo, quoniam te ijs mirificè delectari video: Vel proximè, quanta cum voluptate audiuisti orantem publicè doctissimum et optimum virum Nathanem Chytræum de officio adolescentiæ litteratæ. De ipso non dicam: quoniam præstare virtute, quam cumulari laudibus mauult: nec eius scripta egent meo præconio: tantum hoc dicam, quod qui publicæ vtilitati fauent, sensuros arbitror, luce digna esse. Quibus enim alij informantur ad vitam, alij in viam reuocantur, alij meliores redduntur, alij à vitijs deterrentur, alij in virtute confirmantur; ea à pluribus cognosci rectum esse quis neget, nisi qui nihil illorum fieri velle existimari non iniuria possit, et non minus ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος putandus sit, quàm qui seditionem in patria moueat. Verum vt in te desinã: vbi maturè satisfeceris expectationi de te amicorum, etiam quoad viues, dabis operam, vt te ipso etiadas præstantior: quod omnibus bonis propositum est, nec aliter consequi possumus, quam optima cognoscendo, semperq; eadem meditando, & gerendo quæ præclara sint, & ad vtilitatem mortalium referantur. Vale. Rostochio X. Kal. Martij.

Anno 1586.

NATHANIS CHYTRÆI

DE OFFICIIS INGENVI ET LITTERATI ADOLESCENTIS.

ORATIO.

PRoduximus, vt videtis, in hanc doctissimorum virorum, & honestissimorum adolescentium coronam, aliquot eximiæ eruditionis, & spectatæ probitatis iuuenes, quorum honoribus hunc diem destinatum esse iampridem cognouistis. Nequaquam igitur opus esse existimo, vt vel exordio longo & ambitioso me vobis insinuem: aut tenuitatem in dicendo meam pluribus excusem. Video enim vos ipsos eam maximè ob causam adeo frequentes confluxisse, vt quid hic dicatur auidè audiatis: quid geratur cupidè cognoscatis: atq; ita cum collegij nostri dignitati, horumq; candidatorum existima-

tioni

tioni & honori, dieiq; adeo huius celebritati cum quodam animi prolubio, seruiatis. Ad me vero ipsum quantum spectat, cum in præsentia non curiositas aliqua aut temeritas, sed officij huius mei publici ratio has dicendi partes mihi imponat; idemq; ego non exigua cum voluptate recorder, quanta sæpè cum attentione & beneuolentia, mihi ætate adhuc minus prouecto, ex eodem hoc loco dicenti auscultaueritis: planè futurum confido, vt, cum interea temporis meum in vos studium & obsequium nullam in partem sit imminutum; vt, inquam, ijsdem antiqua illa vestra in me animi beneuoli mutua propensio omnino respondeat. Quæ quidem ipsa adeo confidenter de vobis concepta spes ne me fallat, in vestra maximè, de qua equidem nunquam dubitaui, situm est æquitate. Spero etiam eiuscemodi argumentum dicendi, in vestram potissimum, studiosissimi iuuenes, vtilitatem & emolumentum à me esse delectum, quod

quod vobis aut odiosum, aut tædiosum, in tanto præsertim, quo iam teneor, breuitatis studio esse minimè possit. Decreui enim in hac honorum philosophicorum renunciatione, perbonarum quarundam, & quidem ferè ex philosophia solummodo petitarum subiectionum, quandam quasi farraginem ostendere, quid ingenuo, & virtutis ac sapientiæ studioso adolescenti, in lubrico huius vitæ humanæ curriculo versanti, perpetuò sit meditandum, vt in otio simul & negotio rectè & decorè se gerat, & optatam tandem laborum suorum metam cum laude consequatur. Antequam vero rem ipsam aggrediar, paucis præmonendum censeo, quales huius orationis auditores requiram. Non enim sine discrimine aut exceptione omnes tales sunt, vt apti & idonei huius cohortationis auscultatores queant perhiberi. Si igitur sapientissimus ille Plato, Geometriæ inscios à foribus Academiæ suæ, addita etiam peculiari in-

scriptione, arcebat; nec nobis hac in parte vitio erit vertendum, si modestè, sine tamen vllius reiectione aut exclusione, indicemus, qualem hæc doctrina discipulum, qualem oratio auditorem requirat. Nimirum talem, qui nondum ita frenos suarum cupiditatum & libidinum inciderit, vt harum quasi mancipium factus, vsq; adeo totus in earum cœno volutetur, vt omnem verecundiam, omnem pudorem, omnem infamiæ, Deiq; & hominum de se iudicij metum prorsus exuerit: neq; iam oculos mentis suæ inde attollere, aut vllos animi malè sibi conscij igniculos aut scintillas persentiscere possit, *Iecto semel attrita de fronte rubore.* Huiusmodi enim belluæ potiùs quam homini, si quis de virtutum officijs concionari, aut earum dignitatem & excellentiam demonstrare vellet; perinde faceret, ac si surdo fabulam recensere, aut cœco gemmæ aut floris alicuius pulcritudinem institueret commendare. Sit igitur ex-

tur exhortationis huius nostræ is auditor, qui adhuc in animo suo timorem infamiæ sentiat, honorisq; & approbationis desiderium in eodem circumferat. Hæc enim duo mentium ingenuarum calcaria longè acutissima esse, sine quorum stimulis ad singularem aliquam laudem & gloriam nemo vnquam penetrarit, constans inter eruditos & intelligentes est opinio. Sunt quidem nonnulli, qui pœnarum quoq; metu aliquandiu à sceleribus se contineant, & in virtutis itinere aliquousq; progrediantur. Sed horum ingenia leuia & seruilia vt sunt; ita leui momento ab instituto suo, maximè vbi se pœnas effugere posse sperant, resiliunt. Illi verò, vtpote generosiores, virtutis ipsius pulcritudine allecti, etiam nulla pœna proposita, faciunt quod decet: sibiq; maximæ pœnæ loco habent malam in animo suo conscientiam, & apud bonos & intelligentes infamiam, à quibus quàm difficulter liberari aliquando possint, intelligunt: cum aliàs

vulgares illas pœnas declinare aut effugere non raro facilimè possint. Vtinam igitur tales hic nobis, ijq; quam plurimi auditores contingant, qui cum ex indole bona, tum etiam ex prima parentum & præceptorum institutione illud sint consecuti, de quo in legibus suis sapienter admodum parentibus præcepit Plato, vt scilicet operam darent, non vt aurum & opes multas illis relinquerent: sed potius vt quamplurimum verecundiæ & pudoris animis eorundem inculcarent. Quo quidem saluo de salute quoq; adolescentum non prorsus desperandum esse sapiens ille senex Terentianus censet: cum ex aduerso, vt Plautus in Bacchidibus confirmat, planè periisse existimandi sint ij, quibus periit pudor. Verecundia autem et pudor ille, non ad homines tantũ sed ad ipsum potissimum Deum quoq; est referendus, de quo profectò graue admodum, & scena grauiori dignissimum eiusdem Plauti quasi oraculum extat in Captiuis, *Est profecto Deus, qui, quæ nos gerimus*

rimus auditq; & videt. Quod si igitur, vel in parentis, vel præceptoris, vel magistratus, vel alterius cuiuspiam viri grauis præsentia facere aut dicere vereris ea, quorum te deinceps pudere, aut quæ honesta illorum de te iudicia imminuere posse arbitraris; quid de Deo ipso tibi erit statuendum? de quo audis poëtam Ethnicum, aliàs non nimis religiosum, hoc asserere, quod omnia quæ dicis, audiat: omnia quæ geris, videat: qui deniq; intima mentis & cordis tui consilia & cogitationes exactissimè habeat exploratas. cuius auditum nulla locorum distantia, nullus strepitus, nulla obstacula possint impedire. cuius visum nulla claustra, nullæ latebræ, nulla peripetasmata, nulla aulæa, nullæ tenebræ possint auertere: cuius deniq; omnipotentiam nemo fallere aut latere possit. Te igitur, quisquis es, honestissime adolescens, qui huiusmodi pudoris et verecundiæ igniculos adhuc in animo sen-

tis tuo, te inquam compello, & hortor, vt ante omnia teipsum cognoscere, & vnde, ac quisnam natus sis, assiduè studeas perpendere. Id autem si facies; deprehendes, primum tuum parentem & conditorem Deum esse, à quo non tantum corpus cum brutis animantibus commune, & corruptioni obnoxium; verum mentem quoq; seu spiritum acceperis intelligentem & immortalem, & diuinitatis quodammodo participem. Illum verò ipsum parentem tuum in sublimi esse collocatum, quem si, vt generosos filios decet, æmulari velis; non descendendum tibi, sed summis viribus, ac potentibus alis, quantumuis graui ponderi allígatis, sursum sit contendendum: summoq; studio cauendum, ne vel ingluuie, vel heluatione, vel libidinibus, vel ignauia, vel superbia, vel quibuscunq; alijs desideríjs impuris, tanquam mole aliqua terrena aut saxea depressus, ab instituto illo tuo nobili deturberis: atq; ita vitijs huiusmodi mancipatus, imperium

rium tui, quod ante omnia menti & spiritui tuo debetur, corpori exiguo & fragili tribuas: cuius seorsim consideratí ratione, nihil propemodum à bestijs differs. cum ex aduerso mentis & spíritus illius tui, huic imperio diuinitus destinati, tanta sit, etiam opinione philosophorum, hac de re ænigmaticè loquentium, excellentia; vt eum quiddam perfectum in imperfecto; quiddam maximum in minimo, quiddam æternum & immortale in caduco & mortali dicere non dubitarint. Præterea si, vt ijdem Philosophi asserunt, homo est μικρόκοσμος, seu mundi huius magni quædam quasi epitome: cur non omni studio in hoc incumbet, vt paruus hic magno illi mundo quam exactissimè conformetur? Sicuti igitur magno isti mundo tanq̃ summus conditor et conseruator ipse præest Deus, ad cuius voluntatem & nutum sine exceptione omnia tàm cœlestia quàm terrestria quam perfectissimè se componunt: ita in nobis quoq̃ Mens, seu spíritus noster, sum-

mum imperium obtinere debebat, cuius præscripto omnes animæ functiones, omnes affectus, omnia deniq; totius reliqui corporis membra obtemperarent. quod profecto nisi fiat, tum magni illius, cum minuto hoc nostro mundo collati, non alia erit ratio, quam si illic terra cœlo, lux tenebris, hoc est seruus domino imperaret: Sol & Luna perpetuò deliquio obscurati essent: dies deniq; in noctem continuam, & mundus hic antea longè pulcherrimus, & à pulcritudine nomen nactus, in antiquū illud chaos totum se conuertisset. Quo profectò nihil inconuenientius, nihil deformius, nihil miserius dici aut cogitari posset. Idem si linguam tuam et aliorum, vocemq; adeo articulatam, quam mentis quasi internunciam vocant, consideres, ex ea quoq; perspicies, quantum à brutis animantibus, quæ vt mentem non habent, ita eius interprete quoq; destituuntur, differas: quamq; accuratè ea tibi & formanda & frenanda sit, ne tanto imperatore indigna,

gna, & ab eius dictamine discrepantia proloquatur. Quid de oculis, cum brutis quidem nobis quodammodo communibus, sed tamen in cœlũ erectis dicemus? cum quibus profecto si conformemur, non malè nobis nostríq; emendationi consuluerimus: Ideo enim diuinitus nobis dati sunt oculi, vt corpori nostro duces essent. cur igitur duces hos non sequemur? cur ea, quæ ipsi faciunt, nobis factu indigna censebimus? Cum ergo corpore nostro in planicie aliqua constituto, oculi, quocunq; conuertantur, cœlum aspiciant, & in cœlum nobis duces sint: cur tu à cœlesti illo Dei domicilio, & vera nostra patria animum & corpus tuum auertes, & ad terrena tantum respicies? Iisdem præterea oculis non cœlum tantum aspicimus, sed mirandos quoq; illos, mirificoq; ordine perpetuò sibi constantes cœlestium corporum motus & vicissitudines obseruamus: vt scilicet nostra quoq; consilia, nostras actiones & affectus, ad regulam & normam veritatis certissimam conformare & exi-

gere ſtudeamus. Oculi mira quadam luce refulgent, rebusq; pulcris & lucidis vnicè delectantur: tenebris autem & ſpurcitie magnopere offenduntur: ita te quoq; virtute præ alijs conſpicuum fulgere, lucem veritatis ante omnia expetere, non in caligine, ſed in luce verſari, & ignorantiæ vitiorumq; omnium tenebras ac ſordes remis velisq; fugere oportebat. Sicuti etiam oculis nihil magis impedimento eſſe conſtat, quam terram & res terrenas: ita nos quoq; ſtatuere nobiſcum decebat, nihil nobis in patriam contendentibus magis obſtaculo eſſe, quam deſideria & curas terræ & rerum terrenarum: ideoq; eas ex alto deſpiciendas, & animi noſtri oculos ad meliorum & certiorum bonorum inueſtigationem dirigendos eſſe. Quid quod oculi rerum venuſtarum contemplatione nunquam explentur et ſatiantur: ſed quò diutius eas intuentur; eò vehementiore earum deſiderio exardeſcunt: ita nos quoq; benè agendo nun-

nunquam defatigari, nunquam studium hoc remittere, sed indies maiori cum laboris constantia illud ipsum conueniebat vrgere. Quemadmodum deniq; oculi nostri, sine cœlesti pulcherrimi istius solis luce, nihil vident, & sine ea tenebras nocturnas acie sua penetrare nequaquam possunt: ita nobis quoq; certò persuadere debebamus, nos superna luce & gratia destitutos, frustra laboraturos, & in perpetuis errorum & vitiorum tenebris esse oberraturos. Atq; ideo lucis diuinæ radios sine intermissione à summo illo, quod Deus ipse est, bono petendos esse. Atq; hæc quidem de celeberrimo illo γνῶθι σαυτὸν paucis indicasse potius quam dixisse sufficiat. Non enim hora tantum ista, sed dies quoq; ipse me deficeret, si omnia quæ huc faciunt conquirere, eaq; qua par esset verborũ copia vellem illustrare. Iis igitur omissis ad alia quoq; institu to huic nostro seruientia me conuerto. Inter quæ non postremum est, vt post-

quam

quam in nos ipsos hoc modo inquisiuerimus, & instanti veræ virtutis & sapientiæ itineri nos accinxerimus; scopum quoque certum, eumq; sane sublimem et illustrem, nobis proponamus; cuius præstantiam intuentes, eum serio amemus, amatum expetamus, expetitum mediis quam optimis & commodissimis persequamur: neq; ab eo oculos nostros quoq; dimoueamus, antequam compotes votorum nostrorum facti, eundem assequamur. Neminem sane mortalium, modo sensu communi non destituatur, meo quidem iudicio, facile reperies, qui curas & cogitationes suas non ad metam & finem certum dirigat. Videmus enim hunc opes, illum honores, alium voluptates, alium alia consectari, in quibus summum suum bonum situm esse sæpe etiam falso sibi imaginatur. Nos vero si penitius horum apparentium bonorum naturam examinabibus, verè deprehendemus, omnia illa quæ sensus nostros

tanto-

tantopere oblectant, non ipsa per se bona esse, sed potius vmbras eorum quæ verè sunt bona. Ideoq; vmbrarum istarum indicio, ad rerum verarum, & verè existentium inquisitionem excitabimur: certò nimirum persuasi, breuem hanc & caducam vitam, non vitam esse, sed viam: non metam, sed cursum: non patriam, sed peregrinationem. atq; ideo de vera potius & perenni patria; quam de adumbrata hac & fugitiua: de cœlesti potius & æterna; quam de terrena ista & caduca vita erimus solliciti. vt ita in exilio requiem, in dolore lætitiam, in morte denique ipsa vitam inueniamus. Quin etiam non inutile fuerit assiduè cogitare, quanto debito, & ære quasi alieno magno & graui, cuiusque dissolutionem sine culpa maxima dissimulare aut negligere nunquam possumus, simus obstricti. Quicquid enim habes, id totum accepisti à Deo, & secundum hunc, vel à patria, vel à parentibus, vel ab amicis:

cur

cur igitur non vicissim omne tuum studium, operam & industriam ijsdem impendes? teq; ipsum quasi totum illis retribues? Primo quidem & ante omnia Deo, cui religiosa pietate, pura mente, castis precibus, vitæ integritate & innocentia, cultus præstantur omnium gratissimi. Post Deum iure collocatur, quæ omnes omnium caritates complectitur, patria & Respub. cum sit quasi communis parens omnium ciuium, quorum in numero vnà & nos ipsi, & parentes, & liberi, & amici nostri continentur. ita vt Repub. salua, ipsi quoq; incolumes seruentur: eâdem detrimentum aliquod accipiente, ipsi quoq; saluí esse non possint. Quis igitur adolescens erit vsq; adeo animo degeneri, ingrato, & vili, vt in hoc flore ætatis, ita vitam instituere, ita mores, animum & linguam suam conformare velit, vt ex ijs nihil ornamenti, patria nihil præsidij Respub. vel in præsentia, vel etiam ad posteritatem, sperare aut percipere vnquam possit?

Iam

Iam verò post patriam proximus locus debetur parentibus tàm corporis quàm animorum: quorum his tanto plus pæne quam illis deberi, quanto animus est corpore præstantior, qui probabiliter asserèrent, non defuerunt. Horum igitur, qui plus nos quam seipsos diligunt, sicuti etiam cæterorum amicorum, grauissimis laboribus, ardentissimis votis, honestissimæq; expectationi dedita quasi opera nolle respondere, hominis astorgi est, & crudelis, & ab humanitate omni prorsus alieni. imo belluæ alicui aut monstro quam homini similioris. Eodem pertinet virtutis et sapientiæ admiranda honestas, dignitas & pulcritudo: vitiorumq; & ignorantiæ teterrima deformitas, turpitudo, & infamia. Quorum vtroq; satis accuratè considerato, quis non virtutis studiosus esse malit? quæ Deo & naturæ ipsi est consentanea: quæ causa est omnium in hac vita bonorum: quæ Deo nos caros, hominibus amabiles, nobisq; ipsis, reipub. & alijs vtiles &

salutares præstat. Cum ex aduerso voluptas & vitiositas Deo & naturæ contraria, omniumq; vitæ humanæ malorum causa sit. Vtpote quæ Deo & hominibus nos exosos, nobisq; ipsis, patriæ & alijs inutiles, imo verò etiam noxios & pernicioſos reddat. Quæ ipsa voluptas etiamsi initio instar Helenes, Sirenis, aut Pandoræ alicuius oculos aspectu blandissimo delectet: in aures suauissimè influat: reliquosque adeo sensus iucundissimè demulceat: tamen interim sub hoc quasi melle aloën; sub his blanditijs laqueos; sub hoc nectare venenum nobis insinuat. quando nimirum animum peruertit: corpus eneruat: nosq; ex liberis seruos, ex abundantibus egenos, ex ingenuis sordidos, ex continentibus intemperantes, ex animosis molles, ex constantibus leues, ex fidelibus fœdifragos, ex cautis deniq; & circumspectis, prorsus temerarios & insanos, atq; ita flagitiorum pænè omnium præ-

prædas & mancipia reddit. Verè igitur & rectè auditores suos Aristoteles admonebat, vt voluptates contemplarentur & considerarent, non tam à fronte accedentes; quam à tergo recedentes. Accedentes enim fucata & dolosa specie blandiuntur, vt sæpe quantius precij esse videantur. Recedentes autem pœnitentiam ac dolorem longè acerbissimum suo post se loco relinquunt. Sed nos contrarium ferè instar Epimethei facimus, cum tanta huius Pandoræ astutia sit & fallendi vis; vt pauci admodum eius insidias in tempore animaduertant: plerique etiam tum demum deceptos se sentiant, cum ab ea plagas quasi incurabiles & pæne lethales iam acceperunt. Vt propterea non sine grauissima causa Imperator ille sapientissimus affirmare non dubitarit, in maiori eum periculo versari, qui voluptatum quodam quasi grege sit circumdatus; quam eum qui ab exercitu hostili circumquaque

esset obsessus. Ex hoc enim periculo complures sæpe, vel calliditate, vel precibus, vel vi, vel stratagemate aliquo exitum sibi inuenere: ex illo autem perpauci, imo fere nulli integri & intacti euaserunt. Vt enim de sapientissimo omnium mortalium Salomone illo nihil hoc loco dicamus; exemplo tamen nobis satis euidenti esse poterit fortissimus olim & astutissimus Carthaginensium ductor Annibal, quem etsi nec arduarum Alpium profundissimæ, et multis nostro quoq; sæculo exitiosæ niues; nec earundem angusti tramites, varijq; & perplexi anfractus, aut præcipitia horrenda remorari; nec legiones Romanæ ad Cannas & alibi subigere aut perdomare potuerunt; tamen eundem paulo post, ceu violentia quadam blanda & leni, amœnitate sua Tarentum, fertilitate & omnium rerum abundantia ager Campanus, Baiæ deniq; illæ suis delitijs, & omnis generis voluptatum & luxuriæ illecebris & inuitamentis, vna cum vniuerso exercitu

ercitu, non ita pridem armis inuicto, ita fregerunt; ita languentem subegerunt; vt non agnoſceres eundem eſſe: atq; ita de eo ipſo Annibale, poëtæ illud *Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo!* nimis verè potuerit vſurpari. Rectiſsimè igitur fecerit prudens & magnanimus adoleſcens, ſi hac in parte principijs obſtiterit: hoſtesq; illos, dum teneri & minus adhuc feroces ſunt, maturè agnoſcere; agnitos extremè odiſſe; exoſos & tamen inſidiantes cautè repellere, & in fugam vertere; reſtitantes denicq; & nihilominus rebellantes enecare, & è medio tollere non dubitarit. ne videlicet ab illis ſuo ingenio relictis, iamq; adultis, & robore valentibus, ipſe ſuperatus enecetur. Ea enim huius monſtri natura, ea conſuetudo eſt, vt, niſi tempeſtiuè agnoſcatur, clanculum ſe inſinuet: niſi maturè iterum eijciatur & repellatur; breui totum hominem occupet: eundemq; paulatim debilitatum enecet, niſi ipſum in tempore prius enecetur. Cogitet

igitur animus honesti adolescentis generosus, se in hunc mundum tanquam in arenam quandam esse demissum, in qua, instar athletæ animosi & robusti, cum natura vitiosa, cum prauis affectibus & appetitionibus, aliisq; adeo monstris vitiorum bella gerat continua: in quibus ipsis verè pulcrum et glorioſum sit vincere; vinci autem & superari turpissimum, & maximè pernicioſum. Neq; vbi semel atq; iterum viceris, te munere hoc tuo defunctum securè arbitrabere, aut inducias aliquas tibi conceſſas esse somniabis: sed potius certò scies, fortè è vestigio denuo tibi pugnandum, atque etiam vincendum esse, vt ita quasi in medio hostium constitutus, semper vigiles, & sine intermissione ad fortiter præliandum sis paratus & instructus. Et etiamsi ad huiusmodi vitiorum & monstrorum insultus excipiendos satis te exercitatum & munitum aliquando arbitreris; tamen operam tibi dandam

dam scias, vt peccandi, & vitijs succumbendi occasionem cautè admodum vites: ne dum videri cupis fortis & bene armatus; statim reipsa ignauus & imbellis deprehendare: atq; ita quærens pericula, ab ijsdem merito tuo consumaris. Quod si vero etiam cuipiam hoc certamen nimis difficile; hæc virtutis via nimis ardua videatur: is quæso accuratè secum perpendat, nullum genus vitæ esse, quod non certas difficultates; nullam conditionem esse, quæ non proprias quasdam molestias sibi habeat adiunctas. Imprimis autem laudabilium actionum omnium quoddam quasi commune instrumentum est labor, quem patrem gloriæ et honoris veteres dixere: sine quo nihil vnq; præclarè et egregiè gereretur. Sicuti ipse quoq; Democritus, cum alios omnes, tum vero maximè adolescentes iubebat οὐ πόνους διώκειν, ἀφ' ὧν τὰ μεγάλα καὶ λαμπρὰ γίνονται τοῖς ἀνθρώποις. Otium vero illud desidiosum & vile

(vile dico & inglorium, vt id ab otio quod in contemplatione rerum pulcherrimarum consumitur, omnique externo negotio longè est operosius & præstantius, viroque sapienti quouis alio labore salubrius) illud, inquam, otium ignauum & vile adolescentiæ longè est pernicioſissimum. Etiamsi enim lubricæ huic ætati ratiocinationem & iudicium aliquod ineſſe non negem: tamen cum naturæ eius feruidiori, & concitationibus affectuum obnoxiæ, vt plurimum ratio succumbat: ex eo ipso fit, vt hæc ætas ea fere tantum meditari queat & soleat, quæ sensus, qui sunt irritamenta vitiorum acerrima, ipsi offerunt. Cumque in otio illi ipsi sensus nulla re alia occupati, planè quodammodo, vt ille ait, pateant; quam facilis ad eos prauis tum cogitationibus & desideriis aditus sit, omnes credo intelligitis. Quid quod Deus ipse ignauos deteſtatur: suamque benedictionem prorsus illis, vt certè digni sunt, subtrahit; eandemque vberrimè effundit in homines

mines religiosè industrios, sedulos, & in officio suo laboriosos. Aristoteles certè interrogatus, vbi virtutes maximè vigerent, in animis studiosis laborum respondit. Labor enim, quantumuis diuturnus & molestus, tamen res est adolescenti adprimè vtilis & salutaris. Idem inditorum animo seminum virtutis optimus est cultor, aptissimusq; expulsor vitiorum. Quem equidem propter multiplices, quas coniunctas sibi habet, curas & molestias, nequaquam declinare oportebit: sed potius de meta & exitu, qui illi propositus est iucundissimus & felicissimus, cogitare: atq; ita spe finis & exitus optatissimi, durissima quæq; animo patienti perferre. Iactent interim delicatuli illi voluptatis & luxuriæ assecla iter illud suum planum, molle, & magna etiam sui parte aliquamdiu procliue: immemores interim certissimi & miserrimi, in quod illa tandem desinit, præcipitij. Dummodo nobis concedant, vt aut è mundi huius mari turbulentissimo,

non in scopulos aut Syrtes, sed in portum deferamur: aut ea via, quantumuis initio aspera & salebrosa sit, progrediamur; quæ non ad perniciem sed salutem nos perducat: quæ sublimes nos euehat, non in barathrum supplicíorum æternorum deturbet. In quo profectò Sardanapali illi aliquando excruciati, nimis serò agnoscere cogentur, hanc ipsam virtutis viam non vsque adeo arduam; sed se ipsos molles & effœminatos: pugnas has non nimis horribiles; sed se potius ignauos & socordes: labores istos non supra modum amaros; sed gustatum suum bile fellea deprauatum & infectum fuisse. Vtilissimum profecto, nostroq; huic instituto accommodatissimum foret, si, quod ante quoque attigi, iuuentus ab ineunte ætate, firma quadam animi inductione, hoc sibi persuaderet; iam tum contra vitia cum animi, tum corporis, pugna quadam implacabili decertandum esse, studendumq; continuæ moderationi & continentiæ;

vt

vt iam iam ingruens senectus ipsi facilior & optabilior contingat. Adolescentiam enim honestam & abstinentem senectus quoq; excipit commoda & honorata, quam ipsam Aristoteles bellè vna voce εὐγηρίαν; Homerus non minus bellè duabus, λιπαρὸν γῆρας nominauit: qua equidem ipsa nihil dici potest honestius, nihil excogitari iucundius. Id quod poëta quoque non ignorauit, quando cecinit.

Cur tibi tam leuis est, cur tam iucunda senectus?
Libera quod vitijs tota iuuenta fuit.

Effrenem autem iuuentutem, senectus sequitur corpore languens & morbida; animo vero aut delira, aut conscientia & recordatione rerum in florenti ætate perperam & impurè gestarum se ipsam quasi in continua quadam carnificina excrucians, aut etiam egestate & inopia laborans. Quam autem hoc sit miserum, quam ærumnosum, quam prorsus intolerabile, quæso paulisper animis mediocriter attentis mecum perpendite.

Quan-

Quantum et quam præclarum bonum, quam singulare & eximium Dei munus sit bona valetudo, nemo satis vel agnoscit, vel credit, nisi aliqua inualetudine nonnunquam sit tentatus: aut etiam morbis aliquando oppressus: in quibus etiam ipsis, iam ardore & siti vehementissima correptus æstuauerit: iam horrore febrili concussus tremuerit: mox etiam vel faucium ariditate, vel pituitæ defluxu, vel flatuum tormentis, vel meatuum obstructionibus, vel denicq; respirationis difficultate, cum nausea, tussi, & macie coniunctis aliquandiu laborauerit. Is enim demum intelligit, nihil huiusmodi ægroto esse miserius: nihil afflictius: vtpote cui vita ipsa, qua nihil bene valenti optabilius, nihil dulcius est, prorsus exosa, & pœnæ quam vitæ sit similior, quando ipse quoq; diuturnitate morborum pene enectus, viuo potius cadaueri, quam homini sano est comparandus. Huiusmodi autem quales dixi, aut etiam longè grauiores dolores & angu-

anguſtias nequaquam declinaturum aut effugiturum ſe ſciat is, qui pulcherrimum primæ ætatis ſuæ florem Cereri potius, & Baccho, & Veneri, quam Muſis, Gratijs & Virtuti voluerit conſecrare. Magna hæc eſſe & acerba, omnes credo intelligitis. Sicuti etiam inopiæ, maximè ſi in illam ætatem incidat, anguſtias & miſerias facile eſt perpendere. Sed tamen quæ de malæ conſcientiæ carnificina paulo ante attigi, ea tanto his maiora & acerbiora ſunt; quanto doloribus corporis dolores animi acriores, vehementiores, funeſtioresq; eſſe conſueuerunt. Quis enim verbis pro rei magnitudine poſſit exprimere? quos metus & pauores, quales angores & ſtimulos, quantam inquietudinem & trepidationem, quæ flagra & vulnera, quas deniq; faces & furias, ſine vlla intermiſſione ſentiat, ſine vlla mitigationis ſpe perferat animus male ſibi conſcius. De cuius certè ſupplicio incredibili, prorſus vera ſunt illa Satyrici.

Pœna

Pœna autem vehemens, ac multo sæuior illis,
Quas aut Cæditius grauis inuenit, aut Rhadamanthus
Nocte diéq; suum gestare in pectore testem.

Quis autem vestrum, ô optimi adolescentes, vsq; adeo erit stupidus, vaecors, aut insanus? imo potius in se ipsum crudelis, ἀπάνθρωπος, & ferreus? qui ista omnia, certissimè paulo post adolescentiam dissolutam consecutura mala, partim in corpore, partim in animo, vel etiam in vtroq; ipse experiri, & maximo cum angore & cruciatu, & fortè etiam desperatione perferre malit; quam prouisione & cautione maturè prudenterq; adhibita, illa ipsa anteuertere, & à se omni studio amoliri. Nimis certè magno ea voluptas emitur, quam pœnitentia tam lugubris, & cruciatus tanti & tam ineuitabiles, quasi ijsdem vestigijs insistentes, iam iam subsequuntur.

O potator adhuc, & Veneris mancipium impotens,
Improuisa tuæ cum veniet meta libidini,
Et quæ nunc loculos nobilitant, exciderint Rosæ
Anglorum aureolæ: atq; impatiens, cæcus amor sui,

Vrgeri

Vrgeri monitis, te indocilem reddiderit senem:
Dices: Heu, capitis præproperas conspiciens niues,
Quæ nunc est mihi mens cur eadem non iuueni fuit?
Vel cur his animis ingenij non reuenit vigor?

Liceat enim mihi hoc quoq; tempore, ijsdem versibus denuo vos compellare, quibus nuper parodiam Horatianam texens, nescio quem Acolastum nimis serò resipiscentem, censui compellandum. Ratione autem non alia pœnas et supplicia illa anteuertes, & à te amoliéris, quam si à teneris statim vnguiculis in animi tui vitia & ægritudines accuratè inquirere; deprehensas conuenientibus remedijs curare; earumq; rebellium insultibus resistere potius voles & conaberis: quam eas molliter & indulgenter habendo, quasi in sinu tepido fouere, & ad ætatem iam ingraueſcentem prorsus incurabiles animo circumferre. Longè enim meo quidem, & omnium bonorum iudicio præstabilius est, in iuuentute potius, dum vires anniq; sinunt, cum his belluis præliari; vt in senectute pa-

te pace et quiete frui nobis liceat: quam in illa ipsa vegeta & vigente ætate vel otio, vel luxu, vel alijs eius generis delitijs diffluere: animoq; omisso, tantum, in præsentia suauia quæ sunt, prima habere; neq; consulere in longitudinem: labores interim & pugnas, & egestatem, et alias huiuscemodi iam ante commemoratas difficultates & ærumnas, ætati, per se aliâs debili & imbelli, & ad huiusmodi Ætnam sustinendam & perferendam minimè idoneæ, reseruare. Quod si vero iam etiam de modo & adiumentis huius certaminis instrui cupias: de ijs quoq;, quantum temporis celerius opinione elabentis breuitas permittit, monere te non pigebit: ijs, quæ copiosius eâdem de re dici possent, in aliam, eamq; commodiorem dicendi occasionem reiectis. Scias igitur in frenandis & coërcendis affectibus idem tibi faciendum esse, quod agricolæ & hortulani faciunt in lignis nodosis & distortis dirigendis. Ea enim illi, vt rectà assurgant, à sini-

stra

stra parte, quo sponte sua inclinabant, in dextram validissimè contorquent subinde, & deprimunt, non vt ibidem ea teneant alligata; id enim non minus esset vitiosum; sed vt illa cessim retrò redeuntia, medium eo facilius teneant: ita tu in animi tui desiderijs & cupiditatibus moderandis, id quod vitiosum, & propter corporis temperamentum magis tibi familiare est, in oppositum eius nonnunquam deflectes: vt id, quod inter duo extrema medium est, eo facilius consequare. Sicuti item marmorarij accurati, de statuis quas fingendas susceperunt, modo aliquid deterunt: mox nonnihil addunt: iam aliquid emendant: tandem etiam ad vnguem omnia explorant & perpoliunt: ita tu in teipsum conuersus, accuratissimè inquire, vbi quid tibi desit, vbi abundet, vbi quid melius & laudabilius fieri possit: vt scilicet hoc imaginis DEI simulacrum, cum archetypo ipso, quoad fieri potest, quam exactissimè conformetur. Imprimis

autem in illo ipso examine spectare oportebit, an ita, vt decet, aptè congruenterq; & erga Deum, & erga alios homines, & erga te ipsum sis affectus. Erga Deum verò rectè afficieris per religiosam pietatem, cuius semina, incrementa, & perfectionem aliunde quam ex Philosophia petenda tibi esse non ignoras. Erga alios homines rectè affectus eris per beneficentiam & iustitiam. Erga teipsum, per temperantiam & continentiam. Atque ita, si in hac pugna, ea, quam expetimus, felicitate fueris versatus; omnino fiet, vt castè, iustè & piè viuas. Institutionis enim huius præclaræ impedimenta vt sunt incontinentia, iniustitia, & impietas: ita eiusdem quoddam quasi initium est castitas, seu temperantia: medium vero iustitia, & beneficentia: finis denique pietas seu cultus Dei religiosus. de quo etiamsi poëtæ & philosophi gentiles nec nihil nec omnia dixerint; tamen veri-

tatis

tatis diuinæ hac quoque in parte scintillas minimè obscuras, in nonnullorum mentibus reliquas fuisse, negari non potest. Ad ipsam enim essentiæ Dei spiritualis vnitatem quantum spectat, quid quæso euidentius illo Xenophanis, à Clemente Alexandrino conseruato?

Εἷς θεὸς, ἔν τε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισι μέγιστος,
οὔτι δέμας θνητοῖσιν ὁμοίιος, οὐδὲ νόημα.

Vnus, inquit, est Deus inter diuos & homines maximus, nec corpore nec mente hominibus similis. Contra Idolomaniam vero quid verius etiam à Christiano dici potuisset illo Statij Papinij?

Nulla Dei effigies, nulli commissa metallo
Forma Dei, mentes habitare & pectora gaudet.

aut etiam hoc M. Manilij:

An dubium est habitare Deum sub pectore nostro?
In cœlumq; redire animas, cœloq; venire. &c.

De prouidentia vero & omnipotentia diuina, quam est præclarum illud Hesiodi? πάντα ἰδὼν διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας. Quam insigne hoc Lini, ῥᾴδια πάντα θεῷ τελέσαι, καὶ ἀνύνητον οὐδεν.

Cum quo planè consentit Æschylus in Prometheo ψευδηγορεῖν γὰρ οὐκ ἐπίσταται στόμα τὸ θῖον, ἀλλὰ πᾶν ἔπος τελεῖν. Quam graue, & diuinis itidem litteris consonum istud Menandri! πάντη γὰρ ἔστι, πάντα τε βλέπει θεὸς. Item aliud Sophoclis, ζῶ τῷ θεῷ πᾶς ἡγελᾷ, νῦν ὀδύρεται. Sicut & illud Iuuenalis, *Carior est superis homo quam sibi.* Quibus certè omnibus satis piè asseritur, Deum vbiq; præsentem & veracem, omnia intueri & audire: nihil non posse quod velit: rerumq; omnium curam agere: & imprimis φιλάνθρωπον esse, hominumq; res secundas & aduersas suo arbitrio distribuere & moderari. Veritas autem, est & manet veritas, cuiuscunq; tandem ore efferatur. Quid quod ipsi quoque philosophi hunc finem hominis esse statuunt, vt Dei notitiam sibi comparet: eundemq; cognitum religiosè colat & imitetur. Quandoquidem, ipso quoq; Aristotele teste, omnis scientia à pietate seiuncta, non sapientia est, sed πανουργία potius

tius, seu vafrities quædam subdola, & minimè expetenda. Et quidem ad hunc ipsum finem assequendum, philosophiam homini viam sternere & munire aiunt. In quo sane ipso fine, ne vestra, auditores clarissimi & humanissimi, beneuolentia abuti videamur, hoc quidem tempore, cum vnius sapientis & omnipotentis Dei gloria & celebratione qum rectissimè & iucundissimè acquiescemus.

Hæc in actu philosophico philosophicè potissimum differere hoc modo certis de causis voluí. Neqꝫ enim, quod multi imperiti faciunt, existimandũ est, veram & incorruptam Philosophiam, hoc est doctrinam de Deo, & creaturis à Deo conditis, de virtutibus & vitijs, de ratione, oratione, & iudicio rectè formando & excolendo, deqꝫ aliis rebus bonis, & generi mortalium vtilibus, ex luce naturæ extructam, cum doctrina Ecclesiæ diuinitus patefacta prorsus pugnare. Vtraqꝫ enim, vt iam dixi, Dei sapientia & veritas est. Sed

hæc plena & perfecta; illa vero nonnullis partibus manca, mutila, & deficiens: præsertim in ijs, quæ ad cognitionem Euangelij & salutem nostram æternam consequendam necessariò requiruntur. Ea igitur suis locis quærenda & perdiscenda esse non infitior. Tu interim ingenue adolescens, postquam iam animaduertisti, quid philosophia suis discipulis præscribat: & quantum, quibusue rationibus & modis ista ab ijsdem exigat: tu, inquam, eorundem indicio in hunc aut similem aliquem tecum ratiocinabere modum. Si ego, quatenus homo, & humanæ rationis particeps sum, ipsa philosophia duce & doctrice, eousque, quo iam demonstratum est, progredi debeo: quid me facere oportebit tamquam Christianum? qui infans adhuc in fœderis illius sacrosancti cum Deo initi sigillo, hoc est Baptismo, tanquam visibili iureiurando, eoque in ipsius Dei, sanctissimorumq; angelorum, ipsiusque adeo

adeo Ecclesiæ Dei conspectu præstito, verbis conceptis Diabolo, peccato, mundo, omnibusq; eorum desideriis, molitionibus, voluptatibus, delicijs & sceleribus renunciaui, & Vale quasi supremum dixi: eademq; opera totum me Deo, rebusq; diuinis dedidi & consecraui: & ad obediendum & seruiendum ipsi, toto vitæ meæ tempore, in iustitia & sanctimonia ipsi placente & probata, religiosè, etiam testibus & fideiussoribus interuenientibus, me ipsum obstrinxi. Qui item postea adultior, singulari & nunquam satis celebrando ipsius beneficio, in verbi & voluntatis ipsius diuinæ cognitionem veram & sinceram perueni: spiritusque sancti primitijs, tanquam cœlesti quodam lumine, sum illustratus: eodemq; duce quodammodo supra caliginosas istas rerum mundanarum tenebras euectus, & ad hereditatem patrimonij longè nobilioris sum vocatus, regenera-

tus, & sanctificatus. qui denique, ne in itinere hoc tam arduo deficerem; alimonia illa spirituali veri corporis Christi pro nobis traditi, & in ara crucis fracti; & veri sanguinis eiusdem pro nobis ibidem effusi, tam sæpe sum recreatus: atque ita indissolubili illa κοινωνία cum Christo capite meo paulatim magis magisque vnitus; in spem illam immortalitatis, & vitæ ac salutis sempiternæ certissimam toties pastus sum & refectus. Certè si illa, ita vt rei magnitudo & grauitas postulant, accuratè & assiduè tecum perpendes; tum reuera experieris futurum esse, vt te ipso quotidie fias, non deterior, sed melior: metæque illi conspicuæ & illustri paulatim magis magisque appropinques. Id quod Quinque istos pios & præclarè eruditos iuuenes seriò fecisse, res scilicet ipsa loquitur. Procul enim dubio nota est vobis omnibus, & imprimis collegio nostro in priuato & publico Examine explorata & perspecta est singularis ipsorum probitas, mode-

modestia, continentia, & ingenium optimarum artium studijs egregiè excultum. Quocirca dignos eos esse censemus, qui visitata in scholis regijs laborum suorum præmia testimonio publico consequantur. Vos igitur, iuuenes eruditissimi, primo honorum scholasticorum gradu, cui nomen à lauri bacca inditum est, de sententia collegij nostri ornabo; si prius visitatum iuramentum, quod minister publicus à vobis exiget, volueritis præstare.

IVRAMENTVM.

Quod igitur felix faustumq; sit, & Ecclesiæ Reiq; publicæ tàm litterariæ quàm ciuili honorificum & salutare: ego auctoritate publica, qua in præsentia fungor, vos omnes & singulos,

te Iacobum Fabricium Tunderensem Cimbrum,
te Iacobum Bacmeisterum Rostochiensem,
te Ioachimum Dreierum Lubecensem,
te Ioachimum Gualterum VVitteborgensem Megapolitanum,
te Iohannem Nicolaum Husensem, itidem Cimbrum,

libe-

liberalium artium Baccalaureos creo & appello: vosq; creatos, & publico nomine appellatos, seu, vt vulgo loquuntur, promotos Baccalaureos, in hoc honestissimo cœtu renuncio: vtq; is honor vobis faustus & salutaris sit, ex animo precor & opto, in nomine sacrosanctæ & individuæ Triados, Patris, Filij, & Spiritus sancti. Vtinam vero ea esset sub hoc cœlo septemtrionali aëris benignitas, quæ veras nobis corollas laureolas suppeditaret: tum enim cerimoniæ, seu ritui illi, ab erudita & prudenti antiquitate, in hac solemnitate olim procul dubio vsurpato, nequaquam essem defuturus. Quia vero, vt quimus, aiunt, quando vt volumus non licet: nihilominus in hoc virentis laureæ defectu, quid ea putem veteres monere voluisse, paucis indicabo: eademq; vos opera de nonnullis, ijsque quidem non postremis, officij vestri partibus monebo. Lauri igitur folia

& bac-

& baccæ, etiamsi nigricante quadam viriditate subtristes, & gustu admodum sint amaræ: tamen in odoramentis & medicina, & alibi vsum habent minimè vulgarem. Eodem modo primarum quoq; illarum artium, quarum scientiæ hic honor ab antiquis constitutus est, radices amaræ sunt, & plus ferè laboris & molestiæ; quam splendoris & emolumenti præ se ferre vulgò existimantur (vnde etiam fit, vt tam pauci integram & solidam earum cognitionem sibi parent) cum tamen fructus postea proferant vberrimos, & toti mortalium generi vnicè necessarios. sine quibus scilicet ne superiores quidem illæ artes possunt consistere: aut dignitatem & ornamenta sua cum laude tueri. Præterea natura ita comparatum aiunt, vt laurus & vitis mutuo, eoq; perpetuo inter se flagrent odio. atque ideo vinitores industrios ferunt, à vineis suis laurum quam longissimè remouere. Quo ipso an non saluberrimam

illam

illam sapientiæ, virtutis, & bonæ valetudinis nutriculam sobrietatem vobis commendari intelligitis. vt scilicet studia & lucubrationes vestræ, non vinum sed oliuum; non ebrietatem sed lucernam sapiant & redoleant. Quid quod laurum quoq; victoriæ indicem Romani antiquitus esse voluerunt? Hinc enim consuetudo illa inoleuit, vt non tantum Imperatores ipsi laurea corona vterentur, quod de Iulio Cæsare scribitur; verum litteras quoq; victoriæ indices foliis lauri inuoluerent, atq; ita ad senatum eas ex prouincijs, parta aliqua victoria memorabili, mitterent: quas eodem nomine litteras & victrices & laureatas nominare consueuerunt. Eadem igitur laureola vos quoq; de parta iam post multos labores hactenus exhaustos victoria admoneat. Laurus etiam tam olim Apollini cara esse credita est, vt ex omnibus arboribus sola ictus fulminum non pertimesceret; sed ab ijsdem intacta & immunis perduraret. Quam opinionem

nem abundè confirmat factum Imperatoris Tiberij, quem Plinius scribit tonitruis, fulgetris, & fulminibus ingruentibus, louream suo capiti coronam imposuisse, vt scilicet ea cœli tonantis violentiam à capite & ceruicibus suis auerteret. De Nerone quoq; perhibetur, eum metu fulminis lauro coronatum cryptas & speluncas subijsse. Quo ipso vos quoq; de professionis vestræ dignitate & præstantia commonefieri sciatis. Dubitari enim non debet, eum qui ab ineunte ætate studium veræ pietatis cum cognitione bonarum artium & litterarum coniunxerit; eum in omnibus mundi ærumnis, tumultibus, aduersis casibus, procellis, ipsisq; adeo imperiorum & orbis totius ruinis, cum quadam ἀταραξίᾳ minus trepidum, animoq; magis præsente esse futurum; quam alium quempiam terræ filium, & ventris mancipium, rerum & doctrinarum omnium ignarum. Viriditas deniq; sua lauro non, vt alijs arboribus, palle-

scit,

scit, aut defluit; sed ei manet, media quoque hieme, constans & inuiolata: ita vos quoque corollæ laureolæ indicio commonefietis, non satis esse bene incipere, nisi id, quod cœperitis, feliciter quoq; absoluatur. Atque ideo elaborandum vobis esse, vt probitas, diligentia, & imprimis pietas vestra, turpi ignauiq; otio nunquam marcescat: sed eousq; semper vireat & floreat, donec coronam quoq; illam verè amaranthinam, id est numquam marcescentem, in cœlo consequamini. In quo ipso instituto vt clementer vobis adsit filius Dei seruator noster, primumq; hunc vestrum honorem vobis ad nominis sui gloriam, & multorum salutem fortunet, verè & ex animo eum precor & oro.

AD PROCANCELLARIVM.

Cum autem hi ipsi bonarum artium iam creati Baccalaurei, ea, vt videtis, sint ætate: ea morum integritate & vitæ innocentia: ea denique virtu-

virtute & eruditione, aliquot iam examinibus explorata, conspicui: vt non tantum honos Baccalaureorum; verum magisterij quoque philosophici dignitas ipsis deberi videatur: ego ratione officij huius mei, tibi vir clarissime, & procancellarie dignissime M. Iacobe Prætori, collega & amice honorande, hos ipsos quinq; eruditos & honestos Iuuenes, quam possum accuratissimè commendo: & reuerenter maioremq; in modum à te, totius collegij Philosophici nomine peto, vt pro ea, quæ in præsentia ab illustrissimo principe & Domino, DN. VDALRICO Duce Megapolitano, principe Vandalorum, Comite & propræsule Suerinensi, Domino Rostochij & Stargardiæ, Academiæ huius nostræ Cancellario magnificentissimo, & Domino nostro clementissimo tibi concessa est auctoritate, vt, inquam mihi, hoc tempore Decano, potestatem facias, publicè eos creandi, appellandi, & renun-

nunciandi optimarum philosophiæ artium Magistros. Quod quidem beneficium à te impetratum, eo quo par est animo ego cum vniuerso collegio nostro agnoscam & prædicabo: & hi ipsi candidati vicissim debitam obseruantiam, fidem, gratæq; mentis memoriam, tum illustrissimo principi, tum etiam tibi eius vices in hac solemnitate sustinenti, sanctè, & cum debita submissione deferunt & pollicentur.

CANCELLARII PERMISSIO ET IVRAMENTVM.

Ego vero non solum illustrissimo principi & Cancellario, domino & patrono nostro clementissimo; verum tibi quoq; procancellarie clarissime, tum horum candidatorum, tum etiam collegij philosophici nomine, ago & habeo gratias quam possum maximas, pro hac mihi tam clementer & beneuolè data & concessa potestate, qua quidem ipsa vt modo in hac schola vsita-

vsitato tandem perfungar: Ego quod DEVS opt. max. faustum, felix, fortunatumq; esse velit toti Ecclesiæ, & Reipub. nostræ tàm litterariæ quàm oppidanæ: vobisq; adeo ipsis honoricum, vtile, & salutare: Ego, inquam, pro ea auctoritate, quæ in præsentia iussu illustrissimi principis mihi data est & concessa; Te

Iacobum Fabricium &c.

Vosq; adeo omnes & singulos, in pulcherrima hac lectissimorum hominum corona, creo, appello, & renuncio optimarum philosophiæ artium Magistros & Doctores. simulq; omnia priuilegia, immunitates, & iura, quibus hic ordo à summis principibus, singulari iudicio & gratia cohonestatus est, vobis confero & assigno. Vobisq; nomine & auxilio sacrosanctæ & individuæ Trinitatis, æterni Patris, Filij & Spiritus sancti, vnius & veri Dei implorato, omnia fausta & felicia, in hac nouæ dignitatis & honoris vestri acceßsione, precor & opto. Vt autem

cærimonias & ritus à maioribus nostris hac in parte adhibitos, ipsi quoque, partim maioris celebritatis & solennitatis gratia; partim etiam, vt his quasi symbolis officij & muneris sui candidati eo euidentius admoneantur, nequaquam prætermittamus: primo cerei isti ardentes, seu funalia accensa indicio vobis sint, fieri deinceps non posse, vt lateatis obscuri & ignoti: sed semper vos, tanquam personam publicam sustinentes, magis quam hactenus fuistis, alijs fore conspicuos: pluresq; futuros, qui in vitam, mores, gestus, dicta deniq; & facta vestra curiosè, & quodammodo lumine accenso, sint inquisituri. Atque ideo operam vobis dandam esse accuratissimam, vt non modo eruditione & doctrina; sed vitæ quoque & morum integritate alijs præluceatis: atq; ita non solum verbis & sermonibus; verum multò magis reipsa, id est moribus & vita philosophemini: vt ita luce ista vestra coram homi-

hominibus splendente, alij ad vestri imitationem inuitentur: paterq; ille vester, qui in cœlis est, debito honore & gloria afficiatur. Deinde in honestissimam hanc publicè docentium, orantium, & disputantium cathedram vos euoco: inque eam vos euocatos auctoritate publica colloco: vt intelligatis ius iam vobis potestatemq; concedi, publicè & priuatim artes & linguas generi mortalium vtiles & necessarias docendi: de ijs cum alijs differendi: earumq; studia alijs commendandi. Sicuti autem non ante honestissimam hanc cathedram ausi estis conscendere; quam à me nomine publico in illam euocaremini: ita deinceps quoque non intempestiuè & ambitiosè vos ipsos alijs obtrudetis: aut functiones quascumque malis artibus inuadetis: sed vocationes eorum, penes quos illa potestas est, legitimas expectabitis; ac tum demum in munere vobis commisso strenuè & fide-

liter laborabitis. Quod nunquam ferè ij faciunt, qui functionum suarum non tam officia & labores; quam honores, commoda & emolumenta spectantes, non vocati vltrò se ingerunt. Quia vero in loco tam augusto & sacro sine libris vos consistere nefas esse iudico: en libros quoq; vobis trado, eosq; aperio: vt hoc pacto admoneamini, nequaquam conuenire, vt pro veritate, vestri proprij, aut alieni quoq; cerebri opiniones & somnia, alijs obtrudatis; sed vt sciatis, ea tantum vobis docenda esse; quæ vel probatorum & fide dignorum scriptorum testimonio et auctoritate; vel certa aliqua et minimè fallente ratione confirmari et demonstrari possunt. Dabitis igitur operam, vt libri vestri non fumo aut pulueribus squalidi, aut araneorum telis obducti sint: sed vt eos diligenter euoluatis, legatis, relegatis, scrutemini: eorumq; sententias accurata meditatione inter se conferatis: atq; ita summo studio veritatem inuestigetis, e-

tis: eamq; vere inuentam cupide amplectamini: & cum alijsquoq; communicetis: proq; ea ad extremum vsq; vitæ halitum fortiter propugnetis. memores nimirum grauissimi illius præcepti Syrachidæ sapientis ἕως θανάτου ἀγώνισαι περὶ τῆς ἀληθείας, καὶ κύριος ὁ θεὸς πολεμήσει ὑπὲρ σου: bona item spe freti, tanto hoc, & tam acri gloriæ suæ propugnatore interueniente, certò futurum, vt quolibet in certamine victrix tandem Alethea triumphet. Claudo etiam libros, vt ea quæ in bonis auctoribus continentur, ita memoriæ infigenda sciatis; vt libris vobis vel furto, vel incendio, vel alio quocunq; infortunio sublatis, nihilominus quid verum & rectum sit recordari; deq; eo, si qui sint, alios quoq; instruere & erudire queatis. Hunc quoq; coloris ianthini pileolum, libertatis olim indicem, capitibus vestris impono, vt de ea libertate vos commonefaciam, quæ nequaquam ad illud αὐτὸς ἔφα ita obstricta sit, vt in huius vel alterius verba sta-

tim sine exceptione, tamquam neruis alienis mobile lignum, debeat iurare, atque ita oculis videre non suis sed alienis. Id enim ingenijs seruilibus, & alienarum opinionum, quantumuis absurdarum, mancipijs proprium est. Date igitur operam, vt φιλαληθείᾳ duce, & comite labore, quod verum & rectum est, proprijs oculis videatis, non alienis. In hoc omni studio incumbite, vt numquam aut prauis opinionibus, aut voluptatibus & libidinibus, tyrannis longè sæuissimis, vos mancipetis: sed eos solum liberos esse existimetis, qui, vt Plutarchus loquitur, in actionibus suis rectam rationem, veluti ducem diuinam sequuntur: & qui ea quæ recta, honesta, vereq; vtilia sunt, velle atque præstare didicerunt. Annulis præterea aureis, & insigni gemma fulgentibus, digitos vestros exorno: vt in ipso DEI & sanctorum angelorum conspectu, insigniq; hoc eruditissimorum hominum consessu vobis,

bis, tamquam sponsis lectissimis, Veritatem ipsam, veluti sponsam vnicè amabilem coniungam & despondeam, vt videlicet hanc vnam desideretis, ametis & amplectamini: in hac vna vos oblectetis; eamq; integram & castam conseruetis: contra barbariem & sophisticen studiosè defendatis; &, tamquam mariti fideles, nullo vnquam tempore eandem deseratis. Amplexu denique hoc & osculo, quod vocant, pacis, antiquo scilicet illo beneuolentiæ & amoris mutui ac sinceri symbolo, de vera & minimè fucata dilectione, & studio concordiæ ac tranquillitatis communis vos admoneo. Scitis seruatorem nostrum vnicum paulo ante mortem suam præ omnibus alijs, dilectionem huiusce modi, suis inculcasse; & idipsum charitatis mutuæ præceptum diserte & peculiariter suum mandatum vocasse: sicuti & Paulus ad Galatas idipsum præceptum legem Christi vocat; & Iohannes quoq; Apostolus eandem charitatem, vnà

cum magistro solam & vnicam, certissimum verorum Christi discipulorum γνώρισμα & tecmerium constituit. Facilius enim quis & citius à sole hoc pulcherrimo lucem & calorem; quam à vera & viua fide charitatem eiusq; officia mutua detraxerit. Id igitur vt in vobis quoq; ipsis conspiciatur, sedulò incumbite. quod fiet, si accuratiori in vosmetipsos censura, quam in alios inquiretis: si alijs ignoscetis multa, nihil vobis: si suspicionibus non temerè indulgebitis: si in dictis & factis aliorum censendis candorem & ἐπιείκειαν adhibebitis, inq; eorum erratis excutiendis, exagitandis, iudicandis & condemnandis non eritis nimis inexorabiles, morosi & præcipites: si item non eritis vngues in vlcere, qui vulnera vel Reipub. vel alijs imposita subinde refricent, et nunquam ea sinant consolidari: si non nimis rigidè eam ab alijs perfectionem requiretis; à qua vosmetipsos longissimè abesse notum sit: si non tam amarulentia, acrimonia,

nia & vehementia in insectando & vituperando; quam studio veritatis & sinceritatis in docendo et conuincendo, vitæq; adeo inculpatæ innocentia ἐλέγκτικοὶ esse studebitis. Si denicq; perpetuò memineritis eorum, quæ grauissimè pronunciat Apostolus Paulus ad Galatas populares nostros scribens in fine capitis quarti. Omnis amaritudo, & excandescentia, & ira, & clamor, & maledicentia tollatur ex vobis, cum omni malitia. Sed estote alij in alios benigni, misericordes, condonantes vobis mutuò offensas, sicut & Deus in Christo condonauit vobis. Item Iacobus, sub extremum capitis tertij. Quis sapiens, & scientia, inquit, præditus est inter vos? demonstret ex bona conuersatione opera sua, cum mansuetudine sapientiæ. Quod si inuidiam amaram habetis, et irritationem in corde vestro, ne gloriamini, & ne mendaces estote aduersus veritatem. Non est enim ista sapientia supernè descendens; sed terrena, animalis,

dæmoniaca. Vbi enim inuidia est & irritatio; ibi tumultuatio & omne opus prauum. Quæ autem supernè est sapientia, primum quidem pura est, deinde pacifica, moderata, tractabilis, plena misericordiæ & fructuum bonorum, absque dijudicatione, sine simulatione. Fructus autem iustitiæ cum pace seritur pacificis. Hæc Apostoli, cum quibus exactissimè quodam in loco consentit Clemens Alexandrinus, cum inquit. καθόλου ὁ χριστιανὸς ἡρεμίας, καὶ ἡσυχίας, καὶ γαλήνης, καὶ εἰρήνης οἰκεῖός ἐστιν. De his igitur, alijsq; similibus & in præsentia, & deinceps quoque toto vitæ huius tempore, hi ritus & cærimoniæ vos commonefacient: atque ita dignitas hæc & vobis honorifica; & alijs verè fructuosa & salutaris est futura. Quod superest Deum æternum patrem domini nostri Iesu Christi ex animo inuoco & precor, vt vestra studia, consilia & actiones, & vosmet adeò ipsos quoque

ita

ita spiritu suo sancto moderetur: vt ex honore hoc vestro magnum Academiæ huic nostræ ornamentum; magnum Ecclesiæ & Reip. præsidium; magnum vobis, parentibus & amicis vestris commodum & emolumentum proueniat. Qui quidem ipse omnipotens & beneficentissimus Deus, vos & nos, nostrosq; omnes regat & tegat, ducat & doceat, gubernet & adiuuet, nunc, et in omnem sæculorum omnium æternitatem. DIXI.

His igitur omnibus iam hoc modo peractis, reliquum est, vt vos quoque iam creati optimarum Philosophiæ artium magistri, pro veteri Academiæ huius more, singuli vestræ eruditionis, & ad docendum alios dexteritatis, in hoc honestissimo præstantissimorum virorum, & optimorum iuuenum congressu specimen aliquod publicè edatis. Eius ergo rei tu Magister Iacobe Fabrici Tunderensis facies principium, subsecuturis tuum exemplum reliquis

reliquis deinceps omnibus tuis competitoribus. Audire autem hoc quidem tempore ex te cupio, Quid de sobrio vsu & summo fine philosophiæ sentias.

Tu vero M. Iacobe Bacmeistere Rostochiensis, dic mihi, quomodo intelligas dictum illud celebratum Xenophontis, quo Artes omnium in vita bonorum fontes esse perhibentur.

Proximum est vt tu quoq; M. Ioachime Dreiere Lubecensis paucis ostendas, quibus rationibus probabiliter putes confirmari posse, Philosophiam theoreticen, practicæ esse præferendam.

Tu quoq; M. Ioachime Gualthere VVitteborgensis paucis declara quod visus auditu sit præstantior et acutior.

Quoniam ergo ad festiuitatem hanc publicam quæ pertinent peracta iam videntur esse omnia: Tu M. Iohannes Nicolae Husensis, tum nostro, tum etiam totius collegij philosophici nomine, & Deo optimo Max. vberrimo bono-

bonorum omnium fonti, qui nobis quoq; hæc otia fecit; & amplíssimæ huic coronæ, quæ tam nos patienter audiuit; solemnemq; hanc celebritatem sua præsentia tam beneuolè exornauit, gratias agito.

GRATIARVM ACTIO.

GRaue omnino, & cui perferendo humeri mei impares sunt onus, auditores præstantíssimi atq; humaníssimi, mihi imponitur, gratias vobis agere cum iubeor. Nam & à præstantis ingenij vi, & dicendi copia haud exigua instructum esse oportere iudicio eum: qui vestra in me meiq; ordinis iuuenes, Remq; adeo publicam litterariam totam promerita, non dico amplecti orando, sed percensere numerando velit. Verumtamen cum mihi vt dicam iniungat is: cuius ego nec iussa negligere: nec auctoritatem aspernari aut possum aut debeo: hoc quicquid est oneris in me non equi-

dem

dem inuitus recipiam: vosq; auditores amplissimi, atque humanissimi rogo, vt non tàm facultatem quàm voluntatem, debitamq; adeo præceptori hac in parte obedientiam dicentis spectetis. Ante omnia autem tibi æterne DEVS, Pater Domini ac saluatoris nostri IESV CHRISTI, vna cum Filio, sanctoq; Spiritu gratias agimus sempiternas: quod in hac rerum omnium perturbatione, & religionem Christianam: & studia bonarum artium & linguarum florentia apud nos conseruas. Rogamus etiam te, misericors & sempiterne DEVS: ne propter multiplicia peccata nostra, hæc tam ampla, tamq; præclara bona à nobis denuo auferas. Age Pater preces has nostras clementer exaudi: defende hanc Scholam, Ecclesiam, Rempublicam: pacem, tranquillitatem, & disciplinam honestam tuere: auerte pestem & bella: reliqua etiam mala atque incommoda prohibe: vt quæ Ecclesiæ

tuæ

tuæ salutaria: quæ vtilia sunt Reipub. & doceamus & discamus: & tandem, cum signo dato è statione ista nos auocare placuerit: recto hilariq; vultu te vnum, verum, æternum DEVM & Dominum dominantium, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum intueamur, laudemus, & in omnem sæculorum omnium perennitatem celebremus. Amen. Deinde etiam illustrissimis principibus & Ducibus Megapolitanis: & amplissimo atque prudentissimo huius vrbis Senatui: tanquam beneficentissimis huius Academiæ patronis: & veris patriæ huius dulcissimæ patribus, gratias quas possum maximas & agimus, & habemus, quod Academiam in hoc Balthico littore Rhodopolitanam tam benignè et liberaliter fouent et conseruant, eosq; opere quam possumus maximo rogamus, vt quem erga Academiam hanc suam, eiusdemq; Doctores & alumnos animum hactedus gesserunt verè paternum: eundem

& in

& in posterum retinere constantissimè dignentur. Prætores olim Romani optimè Reipub. consuluisse videbantur; cum ludum aliquem aperiundum esse statuissent, in quo de re nummaria iuuentus institueretur: eiq; qui hac de re legem primò promulgarat, multæ omnibus in vicis statuæ honoris et gratitudinis ergo erectæ fuerunt. Quas ergo vobis illustrissimi Principes, amplissimi Consules, prudentissimi Senatores, statuas hæc nostra ætas debet? quos putatis honores grata tribuet posteritas? qui scholam eiuscemodi & instituistis; & institutam conseruatis, in qua non, vt in Romanis illis, denarios probare; nummos bonos ab adulterinis discernere: sed honestum à turpi distinguere; à falso verum separare; vna cum alijs nobilissimis artibus, linguis & disciplinis adolescentes discunt. Inprimis vero illustrissimo principi & Domino, DN. VDALRICO DVCI MEgapolitano, Principi Vandalorum, Comiti Suerinæo,

næo, Rostochiensium & Stargardiorum Domino, Domino nostro clementissimo, & Academiæ huius Cancellario dignissimo, gratias agimus, quod præceptorum de nobis facta iudicia, sua auctoritate per vicarium suum comprobauit: & nos honore hoc nouo ornandi facultatem clementer spectabili D. Decano largitus est. operamq; dabimus sedulo, vt qua par est obseruantia & gratitudine beneficium hoc & agnoscamus, & celebremus. Deinde gratias quoq; agimus Magnifico D. Rectori, spectabili D. Decano: clarissimis, doctissimisq; D. Examinatoribus: quorum probatione ad hunc honorem litterarium ascendere nobis licuit. In referenda etiam gratia enitemur sedulo: vt quam de studijs moribusq; nostris expectationem conceptam ipsi tenent; & in alijs excitarunt; eam sustinere atq; tueri possimus. Maximas etiam gratias agimus reuerendis sacrarum litterarum Doctoribus & interpretibus: clarissimis Iuris

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN Academia Rostochiensi,

M. NATHAN CHYTRÆVS S. D.

STatueram equidem labore huius programmatis exarandi hoc semestri meo supersedere. Non quod de antiqua Academiarum consuetudine aliquid derogandum arbitrarer: sed quod honores rectius peti, quam deferri; honestius impetrari quam obtrudi, rationibus sanè non leuibus adductus, existimarem. Semper enim in ea fui sententia, quam etiam optimo cuiq; improbari non posse confido; vt certò mihi persuaderem, longè satius, magisq; ex honore scholarum regiarum, inq; ijs iuuentutem docentium esse: si in huiusmodi honorum scholasticorum attributionibus, circumspecti potius & restricti; quam nimis faciles & quasi prodigi vellent perhiberi. Neq; ego in col-

collegio aut communitate quacunq; magis spectandum esse censeo, quam frequentes & multi numero in ea aut iam versentur, aut paullatim in eandem recipiantur; sed potius quam illi ipsi tam recepti quam recipiendi, bene & egregiè personam sibi impositam sustinere possint & tueri. Id quod etiam antecessorum nostrorũ statuta, ipsorumq; adeo patronorum, qui sua opera & liberalitate prima scholarum nobilium fundamenta iecere, diplomata, quorumlibet collegiorum præsidibus, iurisiurandi quoq; religione interueniente, iniunctum esse uolunt. Viderunt enim viri illi sapientes & graues, quanti hæc res esset momenti: & quam parum deceret integritatis & existimationis suæ studiosos collegiorum Academicorum præsides, testimonijs & ornamentis publicis, & quidem totius sui ordinis nomine, cohonestare & alijs commendare eos, qui postea ijsdem pares esse nullam in partem possent: quicq; pro huiusmodi doctrinæ & virtutis

tutis non satis exploratæ insignibus perperam impetratis, postea ijs ipsis, à quibus illa accepissent, non parum dedecoris et ignominiæ, et quidem haud immeritò, essent reposituri. Si enim ij, qui aut in certaminibus præmia iniustè distribuunt; aut in magistratibus designandis suffragia ad gratiam ferunt; etiam vulgi iudicio, dum alijs præposterè honores conciliant; seipsos bona fama et existimatione spoliant: non video profectò, quomodo ab eâdem reprehensione abesse possint ij, qui in scholasticis quoq; his innocentiæ et eruditionis præmijs conferendis, parum cautè versantur. Et etiamsi sæculo fortè superiori venia aliqua dari potuerit huiusmodi Academiarum inquinamentis: cum, temporis maximè vitio, in tanta barbarie, et disciplinarum fere omniũ nocte & interitu constitutæ tum essent: tamen eâdem excusatione hoc tempore neminem vel discentium vel docentium rectè et iure vti posse aut debere, res pæne ipsa loquitur. Quis enim vel suæ

vel

vel alterius inscitiæ velum audeat prætendere, in tanta artium et doctrinarum omnium luce? in tanta doctissimorum hominum, in omni artium, linguarum & disciplinarum genere regnantium multitudine. Vt enim paullò altius, sed paucis tamen, hanc rem, & ab ipsis quasi incunabulis repetamus; quam expedita quæso & commoda iam est, præ ea quæ patrum ætate fuit, primæ ætatis institutio? Quanta iam omnium, quæ studijs liberalibus inseruiunt, linguarum (quæ præ his quales iam sunt, inopes, ieiunæ et incultæ olim videri poterant) puritas, gratia, vbertas? Quantum ad disciplinarum logicarum, ethicarum, politicarum, physicarum & mathematicarum, quæ olim tam intricatè & spinosè inuoluebantur potius quam explicabantur, tractationem accessit iam lucis, acuminis, euidentiæ? Quanto iam, præ veteri illa barbarie, artificiosior, elegantior, vberior, & quasi augustior est eloquentia tam poëtica quam oratoria? Quam exercitationes

ad vtramq; ducentes eruditæ, faciles & accuratæ? Quantum luminis historiæ & alijs doctrinis accesit ex computationibus chronologicis, & tabulis ac picturis tam chorographicis & cosmographicis, quam etiam astronomicis, anatomicis & herbarijs? quarum profecto, vnà cum alijs instrumentis mathematicis, tanta hoc nostro sæculo commoditas, tantum artificium, tanta venustas est & elegantia; vt eæ vel iam perfectæ esse, vel certè ad perfectionem quam proximè accessisse, videri possint. Et vt seorsim tantum Anatomes paucis mentionem faciam, quàm hoc nostro tempore in ipso corpore humano, mira arte & industria dissecto, accuratè, perspicuè & euidenter omnia etiam minutissima oculis subijciuntur? quorum scientiam & intellectum olim multo & fere irrito cum labore, & insuper rei omnium pretiosissimæ, temporis scilicet iactura, tamen vix, ac ne vix quidem consequebamur. Taceò iam tot ac tam insi-

gnes

gnes in omni optimorum, tam diuinorum, quam profanorum auctorum genere interpretes: tot præclarissimorum, & singulari acumine valentium, & ad criticen, in deprauatis temporum & librariorum vitio veterum monimentis exercendam diuinitus quodammodo excitatorum ingeniorum vberrimum prouentum. Quibus tanquam ornamentum prorsus singulare & commodissimum, antiquisq; illis planè ignotum accessit artis typographicæ perpolitio: & in qualibet lingua nobiliori, omnis generis typorum mira quædam pulcritudo, elegantia, venustas. Si qui igitur in hac discendi & proficiendi commoditate, & luce disciplinarum omnium plus quam meridiana, vna cum noctua lucifuga oculos claudere; aut frugibus his tam puris, copiosis & salubribus inuentis, vna cum porcorũ grege glandibus barbariei vna cum suis vesci adhuc malint: aut si qui, vt cum vate nostro Venusino loquar, sui & suorum amore vsq; adeo cæci et peruicaces sint,

Vt

Vt (quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt;
Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ
Imberbes didicere senes perdenda fateri

non possunt) errores & ignorantiam suam potius cælare et defendere; quam eosdem agnoscere & emendare velint: eos profectò ego tanq; fucos ignauos, & Deo tantæ lucis auctori, ipsi q; adeo homínibus tam præstantíbus ingratos, nulla prorsus insciti æ excusatione aut venía, nedum honoris aut ornamenti alicuius scholastici accessione dignandos esse censuerim. Labore enim & industría; non socordía, aut falsa alícuius scientiæ persuasione, ad huiusmodi dignitatum gradus est contendendum. Quæ equidem, vt Sallustius censet, non per se ipsæ claræ sunt et magnificæ: sed perinde habentur, vt eorum qui eas sustinent doctrína & vírtus est. Quæ certè si nulla sit; dignitatem íllam indignis impositam, loco ignominiæ, atq; etiam præmiorum íllorum arbítris parum honorificam futuram, dubitari non debet. Quæ quidem

dem ego non ideo commemoro, quod aut tenuitatis meæ, cuius mihijpsi omnium optimè sum conscius, non recorder: aut quod talem aliquam, qualis in iuuenes etiam ætatis ratione cadere nondum potest, in optimarum artium candidatis perfectionem requiram. Id enim frustra me facturum probè intelligo. Sed tantum vt disciplinæ nostræ alumnos, ad maiorem, in tanta discendi oportunitate, diligentiam, quam quemlibet præstare hic decet, excitem: simulq; declarem, non ita facilem aut leuem, quemadmodum aliqui somniant, ad honores hosce scholasticos adscensum esse: eademq; opera titulos illos & honorum insignia à contemptu & ludibrio, in quæ nonnullorum culpa prolapsa videri possint, vindicem. Iam, quod institutæ scriptionis proprium est, cum intelligam aliquot probos, modestos & præclarè eruditos iuuenes esse, qui hoc tempore debita virtuti & doctrinæ suæ testimonia à collegio nostro petere decreuerint: necessariò

fran-

frangendum mihi esse duxi consilium illud meum prius: præsertim cum eodem me impelleret & amicorum cohortatio, & collegarum etiam quorundam clarissimorum minimè aspernanda auctoritas. Præterea eorum, qui tum obiter mihi nominabantur, candidatorum, modestia, diligentia & eruditio ita mihi probabatur; vt prorsus apud me statuerem, ipsorum honorem & toti Academiæ, & collegio imprimis nostro non inhonorificum esse futurum. Idipsum igitur iam toti cœtui scholastico publicè significo: vt si, quod audio, plures sint, mediocris diligentiæ, eruditionis, & quod caput est, vitæ innocentiæ sibi conscij, qui prioribus illis se cupiant adiungere; vt ij ante Idus Quinctiles sua apud me nomina profiteantur. Illis enim ego & meo, et carissimorum collegarum nomine, omnia humanitatis, candoris, & veræ beneuolentiæ officia ex animo defero & polliceor. Cupio autem multis de causis toto hoc munere & labore, si omnino

mnino fieri posſit, defungi ante Calendas aut Nonas Septembris. Ideoq; hortor candidatos, vt eo citius se expediant; & ornamentis suis ipsi non desint. Datum sub sigillo Decani, cuius aposphragisma est Christus σωτηρ, ipsis Calendis Iulij. Anno Christi CIↃ IↃ XXCV. Qui est à condito mundo ϛϛϛϛ.

ILLVSTRISS. PRINCIPI AC Domino. Dn. VDALRICO Duci Megapolitano, Principi Vandalorum, Comiti et Propræsuli Suerini, Domino Rostochij & Stargardiæ, Domino suo clementißimo.

ILluſtriſsime princeps, Domine clementiſsime. Ego addictiſsimus Illuſtriſs. Excelſ. V. miniſter, ratione officij quo in præſentia fungor, ea qua decet & par eſt cum ſubmiſsione Illuſt. Excelſ. V. paucis ſignifico, eſſe in hac Illuſt. Excelſ. V. Academia Roſtochienſi aliquot pios honeſtos et præclarè litteratos adoleſcentes, qui inſignia magi-

magisterij philosophici conferri sibi à collegio nostro cupiant: quique adeo in Examine satis accurato, ita suam eruditionem, & morum innocentiam nobis probarint, vt hoc eos honore quam dignissimos esse censeamus: eundemque eis ad V. Id. Septembris publicè conferre decreuerimus. Eorum autem nomina, si scire ea forte velit Excell. V. hæc sunt.

Iacobus Fabricius Tunderensis, Holsatus,
Iacobus Baemeisterus L. F. Rostochiensis,
Ioachimus Dreierus Lubecensis,
Ioachimus Gualtherus VVitteborgensis Megapolitanus,
Iohannes Nicolai Husensis, Holsatus.

Eos igitur Illust. Excell. V. diligenter, ac de nota, quod aiunt, optime commendamus: eandemque reuerenter oramus, vt mihi hoc tempore Decano licentiam, vti vocant, potestatemque clementer largiatur, eos creandi, & publicè renunciandi liberalium artium & linguarum magistros. Cumque ea licentia in solemnitate actus publici, ab aliquo illustriss. Excell. V. vicario, vsurpato

pato iampridem in schola hac more, Decano soleat conferri: denuo subiectissimè, ab Illustriss. Excell. V. petimus, vt vices illas suas hoc tempore mandet doctissimo collegæ nostro, M. Iacobo Prætorio, Mathematum professori, ad quem ordo huius dignitatis in collegio nostro iam peruenit. Erit id nobis, et toti ordini nostro philosophico tam gratum, quam quod gratissimum: & hi ipsi Candidati vicissim debitam subiectionem, obseruantiam, & grati animi memoriam illustriss. Excell. V. ex animo vnà nobiscum deferunt & pollicentur. Deus opt. max. Illustriss. Excell. V. Ecclesiæ, Reipub. Academiæ, totiq; adeo regioni & patriæ quam diutissimè incolumem & florentem conseruet. Datæ ex illustriss. Excell. V. vrbe & Academia Rostochiensi, Anno 1585, ipsis Calendis Septemb.

Illustriss. Excell. V.

addictiss.

NATHAN CHYTRÆVS
hoc tempore Decanus.

VDALRICVS DEI GRATIA DVX MEGAPOLENSIS, PRINCEPS VANDALORVM. &c:

Honesto & docto viro, fideli nostro dilecto,
M. NATHANI CHYTRÆO,
Philosophicæ Facultatis in Academia nostra Rostochiensi Decano.

PErequidem libenter ex tuis ad nos litteris cognouimus, de eruditis illis & honestis, quorum mentionem facis, iuuenibus: qui eos in studijs bonarum artium & linguarum progressus fecerint, vt merito suo titulus Magisterij Philosophici ipsis deberi videatur. Ex eo enim patet, in Academia nostra non omnes pariter ignauos aut dissolutos: neq; multorum annorum in eandem Academiam impensas nostras prorsus irritas esse aut fuisse. Assentimur itaq; submissæ et honestissimæ petitioni tuæ: clementerq; tibi potestatem concedimus appellandi, creandi, & renunci-

nunci-

nunciandi liberalium Philosophiæ artium & linguarum Magistros eos, quos tu cum collegis tuis titulo hoc & honore litterario dignos esse iudicasti. Permittimus etiam, vt nominatus à te M. Iacobus Prætorius vices nostras in solennitate illa, eo quo oportet, & nobis honorificum est, modo, sustineat atq; administret. Id quod nostro mandato te illi volumus significare. Nos certè, quantum in nobis est, nulla in re aut honori Academiæ, aut studijs optimarum artium sumus defuturi. Nec te quoq; tuæ erga nos obseruantiæ & fidelium seruitiorum vnquam pœnitebit. Datæ Cracoæ VI. Septemb. Anno M. D. LXXXV.

Vdalricus dux Megapolensis
manu p. sit.

Alia eiusdem principis & argumenti Epistola alio tempore scripta.

DEI GRATIA VDALRICVS
DVX MEGAPOLENSIS &c:
NATHANI CHYTRÆO.
G S. Ac-

ACcepimus literas tuas, doctiss. vir, singulariter nobis dilecte, quibus nobis significas, honestos aliquot ac eruditos iuuenes à te, cui Decani partes hoc semestri, communi Facultatis Philosophicæ consensu, demandatæ sint, Magisterij insignia, & nostrum in ea re consensum petere: ac vt nostro loco Collegam tuum M. Iacobum Prætorium ad hunc actum substituamus, flagitas. Cum vero huic vestro ordini & cœtui, è quo Ecclesiæ DEI & Reipub. seminaria proueniunt, ex animo bene cupiamus; potestatem hanc Candidatis petitos honores conferendi, tibi non solum facimus: verum etiam ipsi Prætorio munus Vicecancellarij, vt voluisti, hisce iniungimus. Ac Filium Dei Custodem suæ Ecclesiæ, veris gemitibus oramus, vt Scholæ huius nostræ, ac Ecclesiæ membra, in vnanimi doctrinæ & voluntatum consensu diu conseruet, regat & tueatur, vt quisq; suo loco vocationis officium, posthabitis contentionibus non necessarijs, in si-

in fide & bona conscientia strenuè faciat. Datæ Stargardij III. Calen. Septembris. Anno à Christo nato M. D. LXIX.

DECANVS ET COLlegium Philosophicum in Academia Rostochiensi Lectoribus candidis & eruditis S.

VErè alicubi à Romanæ eloquentiæ parente dicitur, Honos alit artes, omnesq; incenduntur ad studia gloria: iacentq; ea semper, quæ apud quosq; improbantur. Quam quidem ipsam sententiam aliquot post Ciceronem sæculis, quasi suffragio suo satis eleganter & rotundè repetiuit, & comprobauit Philosophus, inter Pythagoræos non postremus Iamblichus, cum diceret: τῶν τὸ πιμώμενον ἄυξεται, ἐλαττοῦται δὲ τὸ ἀπιμαζόμενον. Cum itaq; superioribus

diebus honesti aliquot & eruditi iuuenes, suum in optimarum artium & linguarum studio profectum, collegio nostro, cum in priuato, tum in publico Examine satis egregiè probassent; dignos eos esse censuimus, qui speratum laborum suorum præmium fructumq; consequerentur: & summo Doctorum seu Magistrorum Philosophiæ honore ac titulo, in publica conuentus Academici solemnitate condecorarentur. Huic ergo debiti honoris renunciationi dicta est dies proxima Iouis, quæ est V. Id. Septemb. Per igitur officiosè & amanter rogamus omnes Professores, Doctores, Licentiatos, Magistros, Baccalaureos, omnes denique pias & elegantis doctrinæ studiosos adolescentes, qui huius Academiæ ciues sunt, vt ad dictam diem, hora octaua matutina, in auditorium maximum quod vocant, frequentes conueniant: suaq; præsentia & exemplo, se ingenuarum artium & linguarum culturam & propagationem magnifacere, & conseruatam

tam cupere; nostrorumq; adeò candidatorum honori fauere testentur. Nos nostro & totius Collegij Philosophici nomine vicissim omnibus & singulis nostram obseruantiam, studia & obsequia ex animo deferimus. Cum etiam multoties querelæ ad nos delatæ sint, de quorundam Scholasticorum nomine se venditantium, siue temeritate, siue impudentia: qui vel ad conuiuium promotionis quam vocant, se ingerunt non vocati: vel etiam sub finem eiusdem conuiuij mensas à conuiuis relictas, tamquam ad prælium hoc symposiacum succenturiati denuò occupant: & poculis grandioribus, licet asymboli, se mutuò inuitant: & non rarò etiam turbas & tumultus inter se excitant: amanter & seriò illos alienarum mensarum assecias, totius Collegij nostri nomine monemus, vt ipsi secum perpendant, quàm parum honorificum sit ingenuo adolescenti, vel fucis accensері, de quibus elegans versiculus Virgilianus ait: *Immunisq; sedens*

aliena ad pabula fucus: vel mensas alienas accedere inuocatum, contra illud peruulgatum: Ad conuiuium ne acceseris, antequam voceris. Et cum aliâs candidati quoq; iam solito pauciores sint; supra modum profectò illos sumptibus eiusmodi non necessarijs grauari minimè vellemus. Sed apud bonos, intelligentes, & modestos hac admonitione minimè opus est: reliquos, mores sui probè aliquando vlciscentur. Valete. PP. 6. Id. Septemb. anno 85.

VOTVM
A DAVIDE N. F. CHYTRÆO ACTVI publico præmissum.

CHriste Deus, fons doctrinæ, sapientia mundi
Vnica, siderea profers qui largus ab arce
Notitiam patris æterni, vitamq; perennem:
Solus & ingenuas, patronus amabilis, artes,
Cumq; scholis vrbes, & templa domosq; tueris.
Quis tibi pro summis dignas persoluere grates
Muneribus queat? inter nos oracula verbi
Cœlestis vera quod cum pietate propagas.
Quod cætum exiguum, qui te reuerenter adoret,
Et tua iussa colat, nostras tibi colligis inter
Reliquias: miseræ post dura pericula vitæ
Cui tribuas patrij purissima gaudia cœli:

Quod linguas artesq; bonas, Respublica quarum
Subsidiis eget, in summo iam flore locatas,
Conseruas, cumulasq; nouis bonus incrementis
Quottidie, Roscaq; adeo quod mitis in vrbe
Hospitium studijs gratum concedis, vt acta
Olim in Sidonia sedem victumq; dedisti
Thesbitæ, cum tota fame Iudæa periret.
Et quamuis plures mercantur crimina pœnas,
Quod dextræ tamen alma tuæ nos protegit vmbra,
Vincit & immensum nostros tua gratia lapsus.
O soboles patris æterni dulcissime Iesu,
Imbue tu viuo pectus glaciale calore,
Vt tibi pro tantis præconia debita donis
Perpetuò dicam: studiorum protege lucem
Accensam, rectæ quæ norma & regula vitæ est,
Qua sine Cimmerijs plena essent cuncta tenebris.
Tu doctrinæ hostes cohibe, seu fraude dolosa,
Seu vi barbariem accelerent, Sophiæq; ruinam.
Tu rege curriculum mortalis flebile vitæ
Luce Deus verboq; tuo, ductuq; perenni
Flaminis ætherij, quem mens studiosa sequatur,
Speratam donec liceat contingere metam.
Quin etiam hos iuuenes tota tibi mente dicatos,
Vsibus & Sophiæ cupidos seruire ministros,
Siue operam illorum schola, siue Ecclesia poscat,
Quisq; adeo nunc laureola de fronde coronam
Ipsa parat Sophie, promissi numinis aura

Tu rege, nobiscum vt faciant dicantq; per orbem
Plurima grata tibi, sanctæq; salubria genti,
Imprimisq; tuas tantum spectantia laudes,
Cui sit perpetuis intermina gloria sæclis.

NATHANIS CHYTRÆI
PRO Q. HORATIO FLACCO VENVSINO
ORATIO.

QVod apud Plutarchum pictoris cuiusdam narratur, de spectatoribus tabularum pictarum, neq; ineptè, & cum quadam etiam similitudine pronunciatum iudicium; idipsum nos quoq; de diuersis bonorum auctorum lectoribus & auditoribus non prorsus inconcinnè videmur posse vsurpare. Aiebat autem pictor ille, rudes & artis pictoriæ ignaros spectatores, similes esse eorum, qui magnam aliquam turbam, vna eademq; opera simul salutarent. Elegantes autem & artificij illius verè

verè ſtudioſos & gnaros quoq; contemplatores, iſs comparabat, qui ſibi obuios ſingulatim compellarent, cumq; iſs familiariter aliquandiu colloquerentur. Atq; ita idem ille fieri dicebat, vt priores illi non exactè & penitus in artificum opera inſpicerent: ſed tantum informatam quandam eorum concíperent imaginem: hos vero accurato cum iudicio ſingulas etiam minutiſſimas operis partes perluſtrare: nihilq; non ſpectatum, nihil non obſeruatum & examinatum relinquere: ſiue id benè & laudabiliter, ſiue etiam inconcinnè & vitioſè eſſet elaboratum. Annon igitur nos quoq; ad eundem modum, & quidem haud immeritò, duo genera conſtituemus eorum, qui in lectione bonorum autorum, eorundemq; interpretum auditione (de ignauis enim, & prorſus ocioſis iam non agimus) verſantur. Videmus enim nonnullos, & quidem maximam illorum partem, ita delicatè, & leui quaſi brachio litteras tractare, vt ſatis ſi-

bi esse putent, si eas saltem à limine salutent: aut si omnino aliquos industriæ suæ neruos intendere libeat; vt vnum atq; alterum libellum obiter euoluant: aut eorum interpreti, pro consuetudine aliquandiu, maximè cum noui aliquid inchoatur, auscultent: sententiolas quoque aliquas, & modos loquendi, si qui insigniores videntur, rubrica annotent: aut etiam in vindemiolas suas eos referant. Cumq; postea, vel inter æquales, vel alios quoscunq; tale aliquid depromere ex memoria possunt; tum verò sibi ipsis & alijs præclarè docti, & satis egregiè suo officio perfuncti videntur. Sed si ijdem, mentem totius alicuius opusculi, eiusq; quasi vim & Oeconomiam explanare à verè & solidè doctis iubeantur: tum vero subito obmutescere, & infantiam suam ipsi alijs prodere coguntur. Alij vero ijq; longè laudabiliores, & officij sui intelligentiores sunt: qui certò sibi persuadent, non satis esse illo modo bonis

nis litteris leuiter tinctum, & quasi colore aliquo ascititio & fugaci aspersum videri: sed oportere vniuersam animi & ingenij nostri aciem in res & sententias bonorum scriptorum, maximè veterum, earumq; tractationem & verba quoq; singula defigere: et, quantum quidem pro captu ingenij cuiusq; fieri potest, non vmbram solum modo & laruã; sed integram rerum optimarum et pulcherrimarum cognitionem et intelligentiam nobis comparare. Ad quod quidem ipsum consequendum, ingenium non planè stupidum, ardens litterarum amor, studij & laboris indefessi virilis constantia, et multa alia, quæ alibi commemorata sunt, adminicula requiruntur. Neq; tamen is ego sum, qui in tanta bonorum scriptorũ multitudine et varietate; & in hac vitæ mortalis, tam angustis finibus circumscriptæ breuitate, eandem curam & intentionem animi omnibus bonis auctoribus censeam adhibendam. Qui enim id fieri possit? Sed de iudicio virorum verè doctorum

et in-

& intelligentium (iunioribus enim & tyronibus hæc dicuntur) ex innumeris paucos, eosq; optimos, & suo instituto accommodatissimos deliget adolescens: quos non obiter saltem inspiciet, & perlustrabit; sed diurna nocturnaq; manu satis diu eos versabit & euoluet: nihilq; eorum, quæ vel ad Sententiam, vel ad Elocutionem aliquid conferre videbuntur, quamuis minutissimum quoq; videatur, intactum relinquet: neq; aliò se conuertet, priusquam totum illum autorem hoc modo penitus perscrutatus, eiusq; cognitionem & intellectum, quam fieri potest maximè integrum & solidum fuerit consecutus. Tum enim demum præclarus aliquis auctor verè incipiet placere: tum demum iudicium de eo ferre poterimus fide dignum, & nullis suspicionibus obnoxium: tum etiam fiet, vt huiusmodi intentione atq; labore in vnum atq; alterum egregium scriptorem in vtraq; lingua collato, in cæteris postea omnia nobis sint faciliora & expeditiora. Sed

quor-

quorsum ista dices tam prolixè? Eo nimirum, vt ingenuos adolescentes, rationibus quam fieri possit euidentissimis conuincam, inter Poëtas Latinos Horatium vel præcipuum esse, cui eiuscemodi, de qua iam dictum est, cura, & quidem merito suo, videatur impendenda. Id igitur dum facio, quæso animis æquis & beneuolis mihi attendite. Multi sunt inter eos quoq, qui eruditionis & doctrinæ nomine vel primos se esse arbitrantur: quiq in alios etiam iudicia & censuras exercendi potestatem sibi sumunt liberrimam: qui, si sententiolæ aliquæ ex Horatio nostro excerptæ sint insigniores, quas subinde citando, & oratiunculis, sæpe etiam contra mentem Poëtæ, infarciendo, se multijugæ lectionis viros doctos esse imperitis probare aliquo modo possint: tum verò satis se multum ex hoc auctore profecisse arbitrantur. Reliqua quæ primo intuitu difficiliora sunt, quia ipsi non intelligunt; alios quoq eadem intelligere nollent: non admo-

admodum dissimiles vulpeculæ illi Æsopicæ, quæ cum peculiari quodam infortunio suo caudam amisisset; maximo conatu hoc agebat, vt in turpitudinis illius suæ integumentum, totigeneri vulpino persuaderet, vt caudas inutiles, & insuper oneroſas sibi præscinderent. Ea nimirum, quorum scientiam vel per ingenium, vel per ignauiam, vel per primæ institutionis infelicitatem, consequi non potuerunt; cum fastidio quopiam contemnentes: atq; ita inscitiæ illius suæ socios sibi complures conquirentes, inter quos ipsi, veluti inter cœcos vnoculi, regnum obtinere videantur. Sed hos ipsos risu potius, quam accuratiore aliqua insectatione plenissimè refutauerimus. Quocirca ad alia quædam grauiora, quæ propositio huic nostro obstare videntur, impedimenta primo amoliendа accingamur: & deinde ad rem quoq; ipsam accedamus. Sunt autem ea quæ à contemptoribus Horatij nobis obijciuntur, duorum ferè generum,

rum, quorum alterum equidem longè est grauissimum; dictionis nimirum obscœnitas: alterum tale, vt ipsum quoq; non planè negligendum esse videatur; asperitas videlicet & horror compositionis ac numerorum. Vtrumq; igitur quale sit expendamus: et quidem ad primum quod attinet; certè si omnes Odæ & Satyræ Horatianæ obscœnæ essent; excusare id minimè vellem, Neq; enim hoc virum bonum deceret. et in hac parte à scopo quam longissimè aberrasse obscœnos nonnullos, et nimis spurcos Satyrarum scriptores, & præsertim Iuuenalem, non diffiteor. Si enim, quod præ se ferunt, vitæ morumq; emendationem, tanquam metam, Satyrographi sibi proposuerunt; profecto nequaquam ea in scribendo licentia vti debuerunt, è qua legentes vel vllam in partem fierent detereriores. Satius enim est vitia non reprehendere; quam oratione turpi & nefanda alios quoque inficere, & omnium honestorum hominum stomachationem, ipsi-

ipsiusq; adeo Dei iram & indignationem, eamq; certissimò secuturas pœnas quoq;, promereri; eoq; tandem deuenire, vt qui vitia reprehendat, eo qui reprehenditur, longè fiat vitiosior & sceleratior. Nequaquam igitur hoc excusauerim. Imo si quid tale in Horatio quoq;, quod equidem non planè negauerim, deprehendatur; illud ego erasum esse malim, quam adolescentiam, aliàs plus nimio ad nequitiam proclivem, hisce quasi inuitamentis vehementius deprauari. quod ipsum etiam magnus ille Iulius Cæsar Scaliger de Iuuenali quoq; scribere alicubi non dubitauit. Cuius verba grauissima, & mirificè ad totam hanc rem illustrandam facientia, idcirco placet subiungere. Sic igitur ille in Idea, vbi primum quoddam suum de Satyris scribendis præceptum absoluit, eandem hanc doctrinam hoc modo continuat. *Alterum est, inquit, non minoris precij præceptum: vt ne, dum vitia insectamur; eas ponamus voces, è quibus, qui legunt,*

gunt, euadant deteriores. Nam sanè fœditates nemo bonus nominare debet, nedum vt litteris mandet. Quid enim cogitet adolescens, qui certarum ignarus obscœnitatum, audiat verba aut vocabula tam nefanda, quam monstroso sunt ingenio ij, qui ea scriptis suis audent inserere? Malo igitur non reprehendere vitia detestanda, quam in execranda oratione mereri reprehensionem. si quis igituraliena peccata insectetur: ea modestia vtatur; ne suum librum efficiat eo nequiorem, de quo verba facit. Quid enim tetrius quibusdam versibus Iuuenalis, propter quorum insolentiam, vel iusserim, vel optarim toto opere abstinere virum bonum. Hactenus Scaliger. Quod autem summus ille vir de Iuuenali, idem ego de Poëta quoq; nostro Venusino (quamuis præ alijs in maximis mihi amoribus & delicijs hactenus fuerit) præcipere non dubitarem; si omnia pariter inquinata & impura in eo animadùerterem. Verum cum, vt in multis alijs, ita hic quoq; sint mala mixta bonis, & bona mixta malis; non propterea vna cum

vitiosis quæ pauciora sunt, bona quoq; & vtilia, quorum sanè longè maior est numerus, abijcienda aut conculcanda esse, idem ego contendo. Facilè enim in hoc plus fuerit mali, quam in illo boni. Neq; etiam pius et verè Christianus interpres, vbi scopuli nonnunquam tales occurrunt, instar gubernatoris industrij & prudentis, quid sui officij sit, ignorabit. Interim hac quoq; in parte non improbetur nobis laudatissima illa veterum Persarum consuetudo, apud quos peculiari etiam lege fuit constitutum, vt, cum quis coram Iudice de delicto aliquo, contra leges commisso, accusaretur; etiamsi eum culpæ illius reum esse certò constaret; non tamen subitò condemnaretur: sed prius accuratissimè in vitam illius anteactam inquireretur, iniretur; ratio, plura ne turpiter et improbè; an verò honestè laudabiliter; egisset. Facta hac inquisitione, si vinceret turpium numerus; condemnabatur: sin laudabilia turpibus præponderarent; absoluebatur. Videbant

enim

enim homines prudentissimi, humanarum virium non esse, rectum cursum perpetuò tenere; sed laudandos, & in numero innocentium habendos eos, non qui prorsus nihil deliquissent; sed qui sæpius bene & honestè, quam malè & turpiter egissent. Quæ ipsa sanè æquissima lex, si præsentis puoqꝫ disceptationis & controuersiæ quasi fundamentum aut norma constituatur: non opus esse existimo, vt pluribus culpæ huius nomine poëtam veræ religionis ignarum defendam. Causa enim dicta est. Quando certò mihi persuadeo, Horatium, simili inquisitione ipsius opusculis adhibita, Iudicum etiam seueriss. morum (si modo penitus hæc poëmata intelligant) calculis absolutum iri. In quo fit sanè aliquid quod displiceat; at sunt multo plura quæ mirificè placeant: fit aliquid quod offendat: at sunt innumera, quæ incomparabiles in se continent vtilitates. Hoc igitur vno impetrato, & ab intelligentibus concesso, aliorum non intelligenti-

um cauillos & vellicationes tantidem faciemus, quanti Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas. Venio nunc ad alterum, asperitatem videlicet horroremq; compositionis & numerorum: qua, si Dijs placet, molliculæ quorundam aures ita offenduntur; vt scriptorem optimum, & vatem politissimum, maledicentiæ suæ aculeis hoc nomine petere, ipsiusq; versibus, nescio quas nugas anteponere non dubitarint. Directa est autem hæc accusatio potissimum in Satyras & Epistolas Horatianas. Nam Odæ eiusdem, ita accuratè illis quoq; videnter elaboratæ, vt nihil ijs fieri possit tersius, nihil elegantius, nihil venustius. Vtinam vero boni illi viri iampridem intellexissent, se in Sermonum & Epistolarum Horatij reprehensione, iudicij sui inopiam, & decori poëtici inscitiam viris doctis, & rem hanc omnem solidè intelligentibus potius prodituros; quam optimum hunc poëtam aliqua, vel minimæ quoq; labeculæ macula aspersu-

ros es-

ros esse. Tum enim ab instituto hoc suo prorsus superuacuo libentius abstinuissent. Neq; tamen ego, in hac Flacci nostri defensione is videri velim, qui crebrarum illarum collisionum & elisionum, tortuosæq; illius & præposteræ antiquorum imitationis ineptias, & ridiculam nescio cuius nouitatis & obscuritatis affectationem censeam comprobandam. Vtpote qui ipse quoq; facilitate aperta & erudita, rebusq; quæ tractantnr prudenter accommodata, & ad politissimorum Ciceronis & Augusti potissimum Imperatoris temporum loquendi consuetudinem quam maximè se componente & conformante, nihil iudicem elegantius, nihil homine docto dignius: neq; etiam ignorem, quam inculti & horridi sint, versus similes illi pentametro Epigrammatis cuiusdam Neapolitani, *Te vmbra petam, ergo vnquam ne metue abs te abeam.* In quo vno, vt Fabricius noster alicubi scribit, decem sunt dictiones, syllabæ octodecim, con-

tractiones quinq; : initium vitiosum, asper exitus, tortuosum medium. Per me tamen fruantur sanè suis illis, quibus eæ placent, delicijs. Quibus nos profectò nihil in Horatio, quod sciamus, simile deprehendimus. Aut si omnino quid eius generis alicubi reperiatur; tamen non propterea totum opus reijciendum, aut negligendum existimamus. Potiora enim nobis, & quidem non immeritò, sunt verè doctorum, & in hisce studijs diutius & solidius, maioriq; cum fructu & laude versatorum iudicia. Cum quibus ipsi quoque non inuiti fatemur, neq; Virgilianam heroici carminis maiestatem & splendorem, neq; Elegiæ, præsertim Propertianæ, Tibullianæ, & Ouidianæ molliciem et leuorem Satyris et Epistolis Horatianis inesse: sed tamen hoc ipsum dedita opera, et non sine artificio, & iudicio peculiari factum esse asseueramus. Primarium enim non Poëtæ solum, verum oratoris quoq; & historici officium est, vt rebus ipsis, pro vt tenues,

nues, mediocres aut illustres sunt, verba quoq; prudenter, & cum decoro queat accommodare, ita vt sit rebus ipsis par atq; æqualis oratio. Sicuti enim ineptus & ridiculus esset, qui per vrbis vicos & plateas cum saltu & tripudio vellet ingredi; vbi simplex & sedatus sufficit incessus: aut qui amictum in conuiuio, aut aliâs obuium, carmine, aut cantu harmonico, siue modo etiam orthio auderet adoriri; cum tantum familiaris, & ad plurium aures vix pertingens, ibi requiratur compellatio: ita ineptus, insulsus, & ridiculus is esset Poëta, qui res viles, & nullius, aut certè non maximi momenti sermocinationes, compositione & elocutione characteri magnifico aut sublimi conueniente, vellet exprimere. Alius enim Character & numerus rebus gestis heroum; alius amoribus, conuiuijs & querimonijs; alius vitiorum insectationibus, &, vt ipse loquitur, per humum repentibus populi sermonibus accommodatus est,

quod qui ignorat, eum ne quidem primoribus, vt aiunt, labris, veram poëtarum artem degustasse certissimum est. Comicos profectò Latinos, numeros, quibus tamen omnino, licet minus manifestis, vtuntur, ita de industria dissimulasse constat; vt inter pronunciandum nihil ferè poëticum animaduerteretur. Cur igitur non idem licuerit Satyricis in Sermonibus & Epistolis? cum vtrique in materia non planè dissimili versentur. Parciores ergo hic sint reprehensores illi, & de re, quam non satis liquidò intelligunt, non ita temerè pronunciandum sibi esse statuant. Qui enim Horatij paucula saltem diligentius perpenderit: eorumq; vim & genium rectè animo impresserit; ille vt tanti poëtæ & Philosophi reprehensor aut Momus esse velit, fieri nequaquam potest. Quocirca etiam quotiescunq; in Criticos huiusmodi præposteros, quicunq; ij sint, contemnentes, aut etiam non magni facientes Horatium incideritis; eo ipso

pso tanquam tecmerio, seu indicio minimè fallente, conuinci vos statuite, vt certò credatis, homines illos quantumuis supercilioſos; tamen ne vnius quidem odæ Horatianæ, multo minus omnium illius poëmatum intelligentiam veram & solidam sibi comparasse. Quantum autem huiusmodi iudicum censuris tribuendum sit, omnes, me quoq; tacente, facile intelligitis: & intelligere etiam, nisi decipi malitis, omnino debetis. Hoc enim malum, vt & alijs bonis auctoribus, ita cumprimis poëtis, & quidem veteribus quoq;, vsq; adeo infestum est; vt ab ineptissimorum quorumq;, & ab hoc studiorum genere sæpe alieniſsimorum cauillationibus ineptis liberi esse non possint. In quorum numerum eos quoq; non immerito quis referat, qui, quodcunq; tandem argumentum tractetur, tantum in perpetua compositionis & numerorum æquabili illa, & minimè salebrosa (quantumuis res ipsa, de qua sermo est, aliud poscat)

mollicie; & sententiolarum siue gnomarum hinc inde temerè nonnunquam coaceruatarum, & sæpè cum intelligentium fastidio infartarum inculcatione, summum Poetæ artificium, summam ipsius carminis excellentiam consistere arbitrantur. Sed hæc pro dignitate persequi si vellem, nouum, & id quidem vberrimum dicendi mihi nasceretur argumentum, de quo alibi à me dictum est, & deinceps quoq; occasione oblata dici poterit copiosius. Vnicum adhuc testat, quod in Horatio molliculi quidam & nimis delicati Musarum cultores desiderant, dictionis nimirum, non quorumlibet intellectui ita statim obuiæ & explicatæ, obscuritas. Qui enim Ouidianam illam omnium ferè captui expositam verborum facilitatem, & rerum animis ac sensibus iuuenilibus valdè congruentium, nimis sæpè fallacem dulcedinem & iucunditatem initio, vt ferè fit, cupidissimè imbibêre, & inde ad Horatianam illam

illam grauitatem, & elocutionem masculam transeunt; illi, si veteris & veræ linguæ Latinæ, præsertimq; orationis poëticæ nondum satis gnari sint: neq; commentarios aut interpretes idoneos, suo isti instituto adhibeant: ij, inquam, in meros griphos & ænigmata sibi videbuntur incidisse. de quo ipso querelas quoq; nonnullorum, qui aliàs non parum sibi sapere viderentur, audire me aliquoties memini. Sed non cogitabant boni illi homines, vitij huius culpam, non penes Horatium esse, qui ita dilucidè scripsit, vt sua ætate, ab omnis conditionis, ætatis & sexus hominibus satis intelligeretur. Quid igitur dices, illis parum aut nihil in Horatio intelligentibus obstabat? illud nimirum quòd veræ illius & solidæ, quam è veterum tantum monumentis consequimur, Latinitatis adhuc ignari; & doctrinarum quoque illarum ac cogitationum reconditarum & verè nobilium, quas ex intimo Philoso-

phiæ

phiæ penuario Poeta hic noster solebat depromere, prorsus expertes essent. Ex quo etiam patet, huiusmodi obscuritatis culpam, lectoribus potius illis nondum satis idoneis, quam ipsi scriptori impingendam fuisse. Etiamsi enim affectatam illam obscuritatem quam M. Antonio obijciebat Augustus Imp. quod ea scribere conaretur, quæ homines potius mirarentur, quam intelligerent, prorsus improbemus: inuolucra quoq; illa verborum qualia olim fuere in oraculis, ænigmatis, & alijs allegorijs, quarum sensum tenebricosa oratione tegere auctores ipsi dedita opera voluerunt, enodandi; aut etiam similia confingendi potestatem, hominibus otio abundantibus libenter relinquamus: nequaquam etiam probandam censeamus eorum scriptorum caliginem, qui vel confusione indistincta, vel elocutione absurda, peregrina, barbara, aut etiam obsoleta, ea quæ literis mandare vellent, intricarunt et inuoluerunt potius, quam expli-

explicarunt: (qualis Lycophron in Alexandra, & Serapion quidam Geographus, cuius millesimam partem se non intelligere Cicero alicubi queritur, & Ephesius ille σκοτεινὸς *clarus ob obscuram linguam magis inter inanes Quam de graueis Graios inter qui vera requirunt*, vt de eo Lucretius canit, Heraclitus, & nonnulli nostra quoq; ætate fuisse perhibentur: si enim hominibus ideo concessa est lingua, vt animi sensa & cogitationes quam maximè dilucidè & perspicuè explicet; cur illam ipsam mentis interpretem de industria obscurare, & caligine inuoluere velimus?) etiamsi inquam vitiosas istas obscuritates nequaquam probem: tamen propterea neq; eorum vel ignauiæ, vel imperitiæ, præsertim in Scholis regijs, patrocinari velim; qui veteris & veræ vel Latinæ, vel Græcæ linguæ ignari, & in bonis illis auctoribus, è quibus vnis linguæ vtriusque vera & solida comparatur cognitio, planè hospites & rudes; & in rectè & ad eorum imi-

imitationem loquendo & scribendo minimè exercitati; statim cum fastidio & supercilio quodam, tanquam caliginosa, obscura & ænigmatica, etiam in optimis scriptoribus, condemnant & reijciunt omnia ea, quæ non subitò ipsorum intelligentiæ sunt obuia, neq; in eam, quasi flumine quodam secundo, & primo veluti impetu influunt. Cum miseri illi non sentiant, propriam inscitiam, futilitatem & socordiam, quæ hoc modo se prodit, potius; quam boni alicuius auctoris obscuritatem sibi hac in parte impedimento esse. Quandoquidem omnia, quæ scientibus etiam facilima videntur, obscura & tenebricosa apparent non intelligentibus. Quod in Horatij quoque lectione semidoctis istis censoribus usu venire quis miretur? Nam qui linguam istam, si Dijs placet, Latinam, ex opusculis non ita pridem natis, & frequenti sæpè non optimè loquentium auditione, voculas quasdam & phra-

ses

ses hinc inde surripiendo, quasdam etiam vltrò comminiscendo, veteribus interim planè neglectis, sibi comparárunt: atque ita ad iudicandum, dicendum, aut scribendum etiam quicquid in buccam venit, temerè prosiliunt: ij certè scriptores illos aureæ ætatis non possunt non, tanquam cibum delicatum, & stomacho suo rustico minimè conuenientem, fastidire & contemnere. Ignoti enim non modò nulla cupido est; verum etiam, quod supra quoq; attigi, vulgo fit, vt optimæ quoq; nobilissimæq; scientiæ, ab ijs cum ludibrio contemnantur, qui vel per ingenij imbecillitatem, vel per ignauiam, vel per inanem falsæ scientiæ persuasionem, earum sibi cognitionem solidam comparare non potuerunt. Sed nunc potius, quoniam videlicet ea quæ laudibus Horatij obstare videbantur, satis perspicuè, vt spero, refutauimus, ad ipsum tandem Horatiũ nos conuertamus, de cuius summi Poëtæ monumen-

mentis longè aliter, quam priores illi faciebant, sentiendum & iudicandum esse, procul dubio iam antea, etiam nihil monente me, nonnulli vestrum intelligunt, si qui saltem operam dedere, vt vel vnicam Odam, vel Epistolam, vel Satyram Horatij rectè intelligerent: siue id suo Marte & studio priuato, adhibitis luculentissimis, qui iam in hunc poëtam exstant commentarijs, sint conati: siue etiam me superiori anno Horatiana quædam, satis accuratè, vt spero, explicantem audiuerint. Nec dubito me cæteros quoq; non pessimæ indolis & ingenij adolescentes, facilè in meam sententiam perducturum esse: si rationes & argumenta, sanè euidentissima, quæ eo nomine in medium afferre iam cogito, rectè perpenderint. Vt igitur in principio commendationis Horatianæ, ipsius quoq; Horatij, cum alijs tamen doctissimorum quorumq; iudicijs, prorsus congruente testimonio & auctoritate, sine fraude, aut cuiusquam præ-

præiudicio, vti mihi liceat; videtur is non sine graui causa, & peculiari cum iudicio, vna cum alijs primæ notæ auctoribus, tam Græcis quam Latinis, tam veteribus quam recentibus (qui vnanimi consensu semper homini studioso, quam diu viuit, hæc tria meditanda arbitrantur, nimirum quomodo benè sapiat, quomodo benè dicat, & quomodo benè agat) ipse quoq; sapientiam & eloquentiam, cum vitæ honestate & innocentia coniunctam, fines studiorum humanitatis constituere; quando inter alia Epistola quarta libri primi ad Albium Tibullum, admodum leuicula mutatione facta, sic scribit.

Quid voueat dulci nutricula maius alumno,
Quam SAPERe et FARi vt possit qui sentiat, & qui
Semper agat quicquid dignum sapiente bonoq; est.

Quod cum ita sit, cur non et nos quoq;, in noua hac Horatij commendatione, ad easdem quasi metas cursum rationum & orationis nostræ dirigamus? Si enim, quod omnino fieri posse con-

fido, demonstratum fuerit, ad istos tres studiorum nostrorum fines poëtam hunc mirificum quendam, non solum ducem & instigatorem; verum etiam commilitonem et adiutorem nobis esse; dubitare profectò nemo, si modò sanus sit, poterit; quin Horatius omnium ingenuorum adolescentium studio & cognitione quam dignissimus debeat censeri. præsertim cum in confesso sit, ex omnibus omnium, qualiacunq; ea sint, monumentis, nihil rectius, magisve cum fructu iuuentuti commendari & explanari, quam eorum libros, qui celebratum illud γνῶναι τὰ δέοντα, καὶ ἅμα ἑρμηνεῦσαι καὶ ποιεῖν ταῦτα, hoc est rectè sentire, & id quod sentias, commodè eloqui, ac reipsa præstare; quamplurimum adiuuent, vrgeant, & maturent. Nam, vt ibidem loquitur Pericles, cogitare si quis potest; sed oratione, quod vult, planè explicare nequit; perinde est, quasi nihil illi in mentem venerit. à cuius vero iudicio & oratione mores & actiones discrepant;

ne il-

ne ille hominis ventosi, leuis & vani notam vix effugerit. Ad sapientiam igitur augendam, & confirmandum de rebus bonis & malis iudicium, plurima in Philosopho hoc Lyrico contineri, nemo, vt spero, inficiari poterit; si modo animaduerterit, quam frequentes & graues de omnium virtutum officijs, primarijsq; adeo Philosophiæ, maximè Ethicæ & politicæ, partibus disputationes passim in toto hoc opere, & inprimis in Epistolis & Satyris contineantur: quam grauis, elegans, & iudicij plena earundem sit tractatio: quanta item sit in polyhistore hoc totius antiquitatis, veterumq; historiarum & fabularum memoria: quanta vitam humanam rectè & prudenter colendi notícia: quanta artis poëticæ, & eorum quæ huc pertinent scientia: quanta ratiocinationum & argumentationum subtilium & acutè inuentarum solertia. Exercitium certè illud Logicum, quod in conficiendis syllogismis potissimum versatur, præ omnibus

alijs ex hoc poëta vel eruditissimè, maximâq; cum vtilitate susçipietur. Nulla enim Oda est, nulla Satyra, nulla Epistola, è qua non quæstio seu propositio aliqua primaria excerpi, eiq; certæ & plærumq; graues & concinnæ rationes Confirmationis subijci possint. Inde autem quam variæ multiplicium argumentationum formæ, & omnis generis syllogismi nascantur, ab omnibus qui huius exercitationis non prorsus ignari sunt, facilè intelligitur. Quæ omnia si quis ad iudicium & sapientiam vel comparandam, vel augendam, vel etiam conseruandam non conducere, audeat affirmare; eundem profectò ipsa meridie non lucere vix puduerit contendere. Ad facultatem verò dicendi quod attinet, dubium esse nemini potest, quin Latinitas hic sit optima, & purissima: vtpote eo tempore nata, quo Latina lingua in maximo flore fuit: atq; ita etiam accuratè elaborata; vt eius sæculi viris illustribus probaretur. Qui cum ipsi

Lati-

Latini sermonis scientissimi essent, de eiusmodi scriptoribus iudicium sine controuersia verissimum ferre potuerunt. Atq; vt de ijs artibus, quæ orationi formandæ & expoliendæ destinatæ esse creduntur, ordine dicam; ad studium certè Grammaticum rectè & integrè absoluendum, hic Poëta præ omnibus alijs accommodatissimus est. Cum enim præter vsitatos loquendi modos, passim omnis generis figuris & imprimis (sicuti verè φιλέλλην fuit) Græcitate creberrimè versibus suis inspergenda salem eis & Venerem soleat quærere: huiusmodi certè figurarum vsum, nullibi quis commodius & plenius, quam in hoc auctore, obseruare, easq; sibi familiares poterit reddere. Taceo iam tot propria & significantia rerum, quæ in alijs auctoribus Latinis non facilè inuenerís, rerum vocabula: prætereo multiplicia diuersorum genera carminum. Cum enim alijs omnibus Poëtis propemodum singula tantum insint: in hoc nostro

rerè omnia, maximè quæ illa ætate viris eruditis in vsu essent, continentur. Et quidem carminum Lyricorum à Græcis ad Latinos translationem, eorundemq; ad nostram vsq; ætatem conseruationem & propagationem, vni nos Horatio potissimum debere fatendum est. Quibus quidem ipsis si careremus; quam iucundo liberalium ingeniorum pastu, quantoq; artium & doctrinarum liberalium ornamento simul & condimento carendum nobis fuisset; nemo est, credo, si modò leuiculo saltem eorum gustu aspersus sit, qui vna mecum non libenter agnoscat. Iam ad Rhetorica quoq; (nam de Logicis paulo ante iam dictum est) veniamus, ad quorum perpolitionem & perfectionem, ratione omnimodorum eruditissimorumq;, quæ peti hinc possunt, stili exercitiorum, plurimum conducere, si Horatius rectè intelligatur, probari sine magno negocio potest. Si enim tria genera caussarum in Rhetoricis consideremus, & ad ea Odas et reliqua

líqua carmina Horatiana examinemus; perſpicuum erit, in ijs exempla, ad omnia & ſingula cauſarum genera pertinentia quam plurima inueniri Ad Genus enim συμβουλευτικὸν quod attinet, reperiuntur in hoc auctore ſuaſiones et diſſuaſiones, exhortationes et dehortationes, monitiones & petitiones, conſolationes et precationes, compellationes et inuitationes, & ſi quæ his ſint ſimilia. Ad genus ἐπιδεικτικὸν pertinent, quæ in eodem Horatio paſsim obuiæ ſunt laudes Deorum, & hominum virtute præſtantium: vituperationes ſceelerum et hominum ſceleratorum: Encomia ingeniorum, virtutum, rerum geſtarum, vitæ generum, vrbium, fontium, fundorum, triumphorum: Item gratiarum actiones, gratulationes, lamentationes, commendationes, hodœporica, propemptica, apotheoſes, panegyrica, Epinicia, & alia eius generis complura. Ad genus δικανικὸν referri poſſunt, quæ in Horatio ſunt accuſationes et defenſiones; excuſationes et inſe-

ctationes, expostulationes, querimoniæ, comminationes, deprecationes, obiurgationes, detestationes, palinodiæ. Et quidem vnum idemq; argumentum tractatur hic sæpiusculè variis diuersisq; modis, ita artificiosè, vt vix agnoscas idem esse. Quas ipsas tractationes, si quis propositione certa constituta, eidemq; Rationibus & Exemplis, tantum quæ ipse Horatius ferè suppeditat, adiunctis, elocutione interim poëtica in oratoriam aut Epistolarem accuratè & cum iudicio commutata, sedulò subinde imitetur: ille profectò certò statuere, & reipsa tandem maximo cum fructu suo poterit experiri, se in exercitijs stili longè eruditioribus & nobilioribus versatum esse: quam si vsitatas passim priuatæ quorumlibet inuentionis œconomias seu dispositiunculas, quas vocant, præposteras & perplexas, & plus iusto plærumq; verbosas & fallaces, ad imitandum sibi proposuisset. Qui enim hac in parte veteres tantum seriò sibi euol-

evoluendos, eorumq; ad exempla, tanquam ad normam, sibi exercitia quoq; sua exigenda esse statuit; is certus esse potest, se veræ & solidæ viæ insistere, quæ ad metam quoq; propositam rectissimè commodissimeq; (quod alias ambages sequentibus nequaquam contingit) ipsum sit perductura. Et huc pertinent quæ Fabricius noster ex Ioanne Sturmio audita præfationi suæ in Horatium inserit, Odas nimirum Horatianas, esse opus varium, rebus, rerum tractatione, orationum formis, in quo Odæ singulæ singula argumenta plenè & perfectè tractata habeant: iucundæ ad cognoscendum, vtiles ad imitandum. Item quod inter omnes Poëtas Hetruscos politissimus Franciscus Petrarcha dicere est solitus, se ex nullo poëta Latino euasisse meliorem, quam ex Horatio. Quin ipse quoq; Fabricius de Horatio dicere non dubitat, alium Poëtam meliorem Horatio, excellentia ingenij, & magnitudine iudicij, &

copia doctrinæ, & varietate orationis & delectu rerum, & pulcritudine tractationis, se sibi videri cognouisse neminem. Prætereo iam ipsius Horatij de vi & decoro orationis exquisitum iudicium: taceo tot insignia emendandæ & expoliendæ orationis præcepta: nihil dico de diuersis formis seu characteribus orationis, quorum omnium illustrissima exempla, præsertim ex Odis Horatianis petita, proferri possent. Neq; enim per omnia verum est, quod quidam scribunt, ad genus dicendi tantum humile Odas Horatij referendas esse; cum rectè hæc intelligentibus euidentissimè pateat, ita altè nonnunquam in ijs assurgere Poëtam, vt sæpius magnifici, grandiloqui, & sublimis; quam humilis, tenuis, aut plebeij nomen mereatur. Præterea in compositione ipsa, eam curam & diligentiam tam rerum quam verborum ratione adhibuit; vt res ipsa, nobis etiam tacentibus loquatur; e-

um non

um non molli brachio, & vt aiunt, perfunctoriè in scribendo versatum esse: sed iustum tempus, accuratum iudicium, exquisitissimamq; limam suis opusculis adhibuisse: & non nisi lentè & fastidiosè, vt Cicero de Commentario consulatus sui loquitur, ea probata, tandem in publicum emisisse: vt eo quoque nomine verissimi videantur insignes isti hendecasyllabi, quibus vir quidam in Italia doctissimus, & ipse quoque Poëta eximius Horatium nostrum extollere non dubitauit.

Sunt qui versiculo minutiore,
Verum pernitido atque perfluenti,
Tamquam Palladij liquore oliui,
Complures properent linire chartas:
Atque, araneoli angulos domorum
Vt tela tenui solent replere,
Quantumuis facilè ore fila paruo
Nentes longa, ita compleant libellos
Totos versiculo minutiore.
Hi vatum in numero an ne sint habendi
Vulgus viderit, atque si qua vulgo

Pars

Pars vatum est similis, quibus Thalia
Flacci sordeat, optimi Poëtæ,
Quod is versiculo minutiore
Atq; persacili atq; perfluenti,
Totas spreuerit occupare chartas.

Iam verò ad vitæ integritatem & innocentiam quod attinet, fateri oportet plurimum ad eam alijs commendandam momenti afferre; si sanctissima illa de diuina prouidentia, & de bonorum præmijs, & sceleratorum pœnis persuasio, animis illorum penitus infigatur, quod ipsum à Flacco nostro sedulò et seriò factum esse, præter alia testatur Oda libri primi tricesima quarta, qua apertè hac in parte Epicuri opinioni, quam per ὀξύμωρον vocat sapientiam insanientem, renunciat: & se non tantum tonitru & fulminibus, verum etiam admirabili rerum omnium vicissitudine, eaq; potissimum, qua infima summis, summa infimis subinde mutantur, motum ait, vt certò statuere cogeretur, esse aliquem horum omnium effectorem, inspectorem, & mo-

& moderatorem Deum, cuius oculos nemo lateat, cuius iudicium nemo effugiat. Quin bonos & innocentes Deo curæ esse suo proprio exemplo aliquoties monet: eidemq; ingenium & omnia sua accepta refert. Proinde etiam suo illo more, in laudibus Deorum admodum frequens est, eorumq; tutelæ S. P. Q. Romanum nonnunquam commendat: teneræ quoq; ætati preces subinde ipse præscribit: & quæ potissimum â Deo petenda sint bona, docet: nimirum non honores, latifundia, diuitias; sed in re tenui, & ad vitæ honestæ sustentationem sufficiente, sanam, bene sano in corpore, mentem. Rationem quoq; Deos colendi optimam esse censet, non sumptuosas victimas; sed vitæ innocentiam, & manus ab omni scelere & flagitio immunes. Quia vero & ratione officij, & aliàs pro sapientia sua intelligebat Poëta; hanc ipsam ad vitam laudabilem assuefactionem, si modo cum fructu & honore aliquo perfici debeat,

à tene-

à teneris statim vnguiculis inchoandam esse; ipse quoq; quid hac in parte fieri oporteat, quibusq; in rebus recta & commoda pueritiæ educatio consistat, grauiter admodum & acutè monet Epistola prima libri secundi, vbi inter alia ad Augustum Imperatorem hoc modo scribit:

Os tenerum pueri balbumq; Poëta figurat:
Torquet ab obscœnis iam nunc sermonibus aurem:
Mox etiam pectus præceptis format amicis:
Asperitatis, & inuidiæ corrector & iræ,
Recte facta refert: orientia tempora notis
Instruit exemplis &c. Quia verò pueros etiam optimè institutos, tandem lubricas adolescentiæ vias ingressos, vt plurimum corrumpi & deprauari solere experientia ipsa edoctus non ignorabat; huic quoq; malo remedium, quantum quidem in se est, afferre conatur. Oda igitur secunda libri tertij parentibus suadet, vt tolerandæ paupertati, ferendisq; laboribus bellicis suos assuefaciant: eosq; adultiores tam præceptis, quam exem-

exemplis vel notorum hominum, vel aliorum quoq; in officio retinere studeant. Huc enim pertinent insignes, & doctrina saluberrima pleni, quos ideò sæpiusculè inculcare soleo, versiculi Satyræ. 4. libri 1.

Insuuit pater optimus hoc me
Vt fugerem, exemplis vitiorum quæq; notando.
Quum me hortaretur, parcè, frugaliter, atq;
Viuerem vti contentus eo quod mi ipse parasset:
Nonne vides Albi vt malè viuat filius? vtq; (rem
Barrus inops? magnum documentum, ne patriam
Perdere quis velit &c. Et paulo post rationem subiungit his verbis:

Nam teneros animos aliena opprobria sæpè
Absterrent vitijs.

Et hoc quidem modo tam diu vtendum monet, donec animum adolescentis ætas ipsa corroborauerit. quo facto futurum deinceps autumat, vt aut liber amicus, aut etiam proprium consilium, & serium honestè & laudabiliter viuendi propositum, cætera, si qua sint, vitia paullatim emendent. Imò qua ratione aliquis virtutum

tutum & innocentiæ ſtudioſus in ſe ipſum & vitam ſuam ſubindè inquirere, quibuſq; quaſi antidotis vitia, ad quæ procliuem quiſq; ſe ſentit, emendare, & eorum numerum paulatim imminuere poſsit; propria ſui ipſius, qua vti ſoleat, cenſura tanquam in exemplum propoſita, declarat. Præterea quocunq; in lectione Poëmatum Horatij te vertas, agnoſcere cogeris, non minus rectè ſapientiæ magiſtrum dici eum poſſe; quam Euripides poëta dictus eſt Philoſophiam in theatrum produxiſſe. Non enim obſcurè vbiq; hoc agit, vt ab impietate, otio, ſomno, ignauia, à voluptatibus item corporis impuris & beluinis, luxuria, ebrietate, incontinentia, iniurijs, auſteritate, hypocriſi, item ab ambitione, auaritia, periurijs, leuitate, ſuperbia, iracundia, maledicentia, inhumanitate, veneficijs, animi impotentia, à metu deniq; infelicitatis & mortis, à curis & moleſtia, alijſq; animi morbis, qui & innumeri, ſunt & grauiſsimi, lectores & auditores ſu-

res suos, quantum quidem in ipso est, vindicet: eosq; traducat ad cultum numinis, vigilias, labores rusticos, militares & literarios: item ad studium bonæ valetudinis & rerum gerendarum, ad virtutem & sapientiam, ad inanis gloriæ contemptionem, ad amorem mediocritatis, αὐτάρκειάς τε καὶ ἀφιλοπλουτίας, & studium sobrietatis, industriæ & frugalitatis. Item ad fortitudinem, animiq; in rebus secundis & aduersis, perferendisq; amicorum erratis & næuis, æquitatem & humanitatem. Viros etiam, & hisce virtutibus, & inprimis fortitudine bellica conspicuos, dum subindè illustribus encomijs celebrat; non obscurè earundem virtutum desiderium nobis vult esse quam commendatissimum. Eodemq; pertinent, quæ de libertate tantum in rectè viuendo, & sapientia in nullius rei admiratione posita disputat. Item quæ de amore patriæ, etiam vitæ ipsi præferendo, de viribus & robore sine consilio & prudentia irritis, de peccatorum

torum inæqualitate contra Stoicos, de curandis tantum præsentibus, & futuris Deo committendis, de honesta iucunditate non negligenda, de vita hominum priuatorum regio splendori longissimè anteponenda, de morte deniq; omni momento singulis impendente, opusculis suis hinc indè inspergit. Præcepta quoq; de familiaritate potentum tenuioribus aut planè fugienda; aut prudenter ipsorum ingenijs & moribus dicta & facta sua accommodando; talia sunt, vt plurimum ad vitæ & morum honestatem, elegantiam & quandam quasi vrbanitatem, & in lubrico illo fastigio securitatem quoq; qualemcunq; conducere videantur. Quia vero hæc ipsa vitæ & morum emendatio, vt Reipub. vnicè necessaria, ita multis quoq; ingrata, nonnullis etiam prorsus intolerabilis est: non vno modo & via in hoc argumento tractando poëta verè μισοπόνηρος versatur: sed diuersorum ingenijs diuersimodè se accom-

commodat. Iam enim nudis præceptis & exemplis vtitur: iam in alienis personis certorum hominum peccata exagitat: iam iocosè & salsè quorundam vitia non sine ludibrio aliquo pungit: iam grauiter & seriò de ijsdem alios compellat: iam cum quadam indignatione & stomachatione flagitia suorum temporum omnia liberrimè insectatur: nec sui ipsius hac ipsa in parte obliuiscitur, cum & de Poëtæ, honesti vita, officio & laude verba faciat: & sua quoque propria vitia exagitet, vt idipsum in alijs quoq; facere eò liberius & confidentius possit. Quæ omnia, si dulcedo absit, propter grauitatem; si grauitas dematur, propter dulcedinem expetenda esse, spero mihi facilè concessuros omnes, quicunq; sententiarum & vocum Horatianarum vim et pondus vnà mecum accuratè expendere, et serij horum poëmatum amatores esse non dubitauerint. Id quod partim potentissimos Imperatores, partim &

iam olim, & nostra quoq; ætate doctíssimos quosque viros facere nequaquam piguit. Quam enim charus fuerit Augusto Imperatori Flaccus noster, & Odæ, & Epistolæ ipsius Augusto consecratæ abundè testantur. Quin eundem in negocijs sæpè grauissimis, huius Poëtæ versiculis, tanquam testimonijs vti solitum esse, satis perspicuè patet ex Apophthegmate quodam eius ad Athenodorum, à Plutarcho consignato. Cum enim Athenodorus Philosophus, quo secum ex Græcia Romam adducto, aliquot iam annos tanquam præceptore & consiliario vsus fuerat Augustus, propter senectutem ingruentem domum se dimitti postulasset; & iam Augusto valedicturus inter alia hoc quoq; præceptum illi suggessisset; Cum iratus fueris, ô Cæsar, nihil neq; dixeris, neq; feceris, priusquam quatuor & viginti literas tecum ipse percurreris: vt ita concitatio illa, quæ ferè vnius momenti est, cogitatione aliò traducta, exigui temporis

poris interiectu, languescat. Ibi vero Augustus Athenodoro manum inijciens, adhuc dixit te præsente mihi opus est. atq; ita per integrũ deinceps annum eum secum detinuit, asserens ὅτι ἐστι καὶ σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας. Quæ ipsa sapientissimi Imperatoris verba, ex Oda secunda libri tertij Carminum Horatij expressa esse, manifestum est: vbi inter alia hic quoq; versiculus, cum Græcis istis verbis planè congruens, legitur, *Est & fideli tuta silentio Merces.* Nisi quis fortè dicere malit, ipsum Horatium insigne illud Apophthegma Odæ illi suæ in gratiam potentissimi Imperatoris intexere voluisse. In vita quoq; Alexandri Seueri Cæsaris prudentissimi, ab Ælio Lampridio scriptum est, eum cum aliorum Philosophorum & Oratorum monumentis; tum verò etiam Horatij lectione delectatum fuisse. Et huius ipsius generis testimonia & elogia de Flacco nostro complura à Fabricio alicubi coaceruata sunt: quibus nos paucula hæc adijcere non pi-

gebit. Iulius igitur Cæsar Scaliger, vir nostri sæculi, iudicio & doctrina præstantissimorum quoq; omnium, sine controuersia facile princeps, etiamsi pro ingenij sui acumine planè diuino, quædam in Horatio nonnunquam reprehendat: tamen eo nihil obstante, mirís subinde Elogijs eundem extollere non dubitat. Ita enim in Hypercritico, *Quis Horatij stilo putet vllam censuram esse potiorem? est enim omnium Latinorum Græcorumq; poëtarum elaboratissimus. Nam in Lyricis quem sonum, quos numeros, quam maiestatem quæsiuit, obtinuit: quæ omnia, cum in alijs neglexit operibus; omisit sine gloriæ dispendio. quam puritatem, elegantiam, venustatem in vtrisq; appetijt, consecutus est.* Item paulo post. *Nunc ad politissima eius carmina contemplanda transeamus. in quibus considerandis maior laudis atq; admirationis, quam castigationis apparatus erit. Carminum igitur libri, vel iucunda inuentione, vel puritate sermonis, vel figurarum tum nouitate tum varietate maiores sunt omni-*

non

non solum vituperatione, sed etiam laude: neq; solo dicendi genere humili, quemadmodum scripsit Quintilianus contenti: verum etiam sublimi maximè commendandi. Idq; cum satis multis exemplis demonstrasset: eumq; in multis ne Pindaro quidem cedere ostendisset; tandem hæc quoq; verba subiungit. *Hæc recensere coactus sum, vt virum maximum, atq; etiam cum ipso Pindaro in hisce conferendum, à calumnia vindicarem. Nam & Pindaro accuratior est, & sententijs crebrior, neq; sibi vt ille indulgens: sed non sine auditoris reuerentia audax, ad eam præstandam magnitudinem, quæ neq; illi oneri, vt nobis miraculo sit. In eo nihil laxum est, nihil hiat, omnia cohærent, ita vt vnum tota illa esse videantur.* Item postea. *Omnes, inquit, Odæ tantæ sunt venustatis, vt & mihi & alijs prudentioribus omnem ademerint spem talium studiorum. Inter cæteras vero,* idem ait Scaliger, *duas animaduerti, quibus ne ambrosiam quidem, aut nectar dulciora putem. Altera est tertia quarti libri, cuius principium est, Quem tu Melpomene semel Nascentem pla-*

cido lumine videris. Altera nona ex tertio, quam his verbis inchoat, Donec gratus eram tibi. Quarum similes malim, idem inquit Scaliger, à me compositas, quam Pythionicarum multas Pindari & Nemeonicarum: quarum similes malim composuisse, quam esse totius Tarraconensis rex. Hæc igitur de Horatio Scaliger, qui etiam Pindarum illum, quantumuis inimitabilem, tamen in nonnullis cedere Horatio, constanter, vt audiuistis, magnoq; cum iudicio asseuerat. Ego verò, si de tantis viris liberè quid sentiam, pronunciare mihi concessum esset, affirmare quoq;, præter illa, non dubitarem; Flaccum nostrum, quantum ad naturæ ingenuitatem, morumq; integritatem & candorem spectat, plurimum quoq; Pindaro esse præferendum. Ex cuius certè Odis passim apparet, quam ingenio fuerit arroganti, fastuoso, & iactabundo: quam præ se alios etiam doctissimos in suo genere poëtas impotenter & maleuolè contempserit: quàm calami venalis, & lyræ mercenariæ

nariæ dominus, auarè precium arti suæ, quam quæstui haberet, statuerit: quàm in præmijs & muneribus extorquendis importunè & impudenter petax: quàm deniq; accuratus ipsius auaritiæ, omnibus bonis exsecratæ & inuisæ, excusator, & sanè fidei non optimæ fuerit patronus. Imprudenter autem, meo quidem iudicio, imò malè quoq; faciunt huius tam sancti & augusti ordinis homines, qui professionem suam hoc modo infamant: suisq; vitijs promerentur, vt ipsis quoq; vno tantum verbo mutato iure obijci posse videatur, quod olim Socrates, Charitum mentione facta, prodigo cuidam, non sine stomacho dixisse perhibetur, κακῶς ἀπώλοιο, ὅτι τὰς Μούσας παρθένους οὔσας πόρνας ἐποίησας. Cum tanti igitur poëtæ tam diuino, & omni exceptione maiore ingenio, tanta quoq; vitia coniuncta fuisse nemo credo negare audebit, qui modo mediocri cum attentione in Pindaricis euoluendis fuerit versatus. Vsq; adeo in rebus

humanis nihil est ab omni parte beatum. Vsq; adeo hic quoque verum est, quod Romanæ eloquentiæ parens de auaritia alicubi pronunciat: Nullum esse officium tam sanctum atque solemne, quod non auaritia comminuere atq; violare soleat. Cum ex aduerso Venusinus noster vbique fere sit candidus & modestus: & nunquam se alijs, sed alios potius sibi, præponat: eorum mq; ingenia, doctrinam & opera, vbicunq; datur occasio, celebret: verecundè imminuat sua. Cum item in gratiarum actionibus, & acceptorum à Mæcenate & alijs beneficiorum prædicationibus, & αὐταρκείας quoq; suæ celebratione; vituperatione item radicis illius omnium malorum auaritiæ, creberrimus; in mendicitate vero illa impudenti, & viro litterato indigna, planè nullus sit. Verum hæc quoq; paucis tantum, hac occasione data, attigisse sufficiat. Redeo iam ad grauissima, virorum præstantissimorum, de Flacco nostro testimonia.

qua

qua quidem in parte, ea quæ ab alijs satis verbosè inculcantur non libet repetere; neq; etiã plures prioribus nominatim accensere: cum inter omnes eruditos, vt quisq; est excellentissimus; ita se huius poëtæ admiratorem et amatorem acerrimum lubens profiteatur. Inter quos etiam sunt nonnulli, qui Horatij opuscula, et in primis Epistolas, de quibus ipsis paulo post seorsim dicam, poësin philosophicam appellare non vereantur: qui item (etiamsi Horatium & Virgilium duo Latinæ poëseos lumina esse agnoscant, inter quæ admodũ ambigua, licet in genere valde diuerso, palma esse videatur) ingenuè fateantur, si eorum altero priuari nos necessariò oporteret; optione hac data, valde sibi pronunciatu difficile forè, vtrius iactura minus sibi grauis & molesta; aut hominibus philologis, ipsisq; adeo litteris humanitatis tolerabilior censeri possit. Cum igitur ex ijs quæ dicta iam sunt, satis multos Horatij, & inprimis Odarum eiusdem amato-

matores inter viros verè eruditos esse constet: (quandoquidem illæ, vt varia sunt earum argumenta, ita varias quoq; sui amandi occasiones, pro ingeniorum varietate, lectoribus facilè præbent) plura de earum præconijs hic non addam: sed seorsim de libris Sermonum siue Satyrarum & epistolarum quoq; deinceps agam, idq; paucissimis. Cum superiori anno, quando eam Horatij partem vobis explicarem, de toto hoc genere sæpenumero dixerim vberius. In eo igitur opere, sicuti alij quoq; Satyrici fecêre, in hoc vnum intentus est Poëta, vt per ludum quasi & iocum, salibus festiuis, & nonnunquam etiam satis mordacibus, meliores efficiat bonos; malos ab improbitate deterreat. Cum enim & omnibus temporibus, & illo quoq; sæculo fuerint homines, qui non tam odio cuiusquam, quam flagitiorum turpitudine & indignitate commoti, in ea liberius inueherentur: qui venustius, & maiori cum acumine eo officio functi sint, quam Satyrici, depre-

deprehendas pænè neminem. Per enim elegans hoc scriptionis genus est, & ad vitam moresq; hominum emendandos acutè admodum, & faceta quadam calliditate excogitatum. Sicuti autem facies hominis, quæ vna eademq; semper est, pro animorum diuersitate nunc hilaris nunc mœsta; nunc placida nunc iracunda apparet: ita illi ipsi, etiamsi in argumentis consimilibus versarentur; tamen magna ingeniorum, affectuum & tractationis vsi sunt dissimilitudine. Concitatiores sunt (quod ex ipsis statim exordijs perspicitur) Persius & Iuuenalis: quorum hic quasi fulminat, & hostem apertè, & stricto ense vrgendo iugulat: ille subobscurus, & abstrusæ eruditionis ferè in hoc genere ostentator, facenti quasi insultat. Vterq; sanè Satyras appellare sua poëmata non dubitauit. Multò autem, id quod etiam primæ statim Satyræ initium arguit, sedatior est Horatius: qui, vt Scaliger alicubi loquitur, Satyrorum more quasi thyrsum

sum hedera contectum gerit, quo imprudentes & incautos vulneret. Vnde etiam factum est, vt pro ingenij sui suauitate Socratica, ne titulum quidem illum Satyræ, planè tunc inuisum, in eius operis vestibulo voluerit vsurpare: sed Sermonum & Epistolarum appellatione contentus, nunc quasi familiari colloquio præsentes; mox per Epistolam etiam absentes sui officij admoneat. idq; miro quodã artificio, mira dissimulatione. Archilochiam enim illam & Lucilianam in conuitijs acerbitatem et amarulentiam, in Socraticam illam, hoc est liberalem & Ironicam vrbanitatem conuertere; & iocosè potius ac salsè, quam petulanter & acerbè cum hominibus agere studet. Primo enim ferè, sicuti Xenophontius ille Socrates, qui ἔπαιζεν ἅμα σπουδάζων, clanculum, & quasi per iocum & risum sese insinuat: & veluti in gremium eius quem mordere vult, insidiosa quadam, sed tamen honesta & iucunda vafricie, subrepit;

dum

dum lectorem blandicijs & facetijs suis quodammodo allicit, eiusq; animum præparat. Cumq; iocari, planeq; iam aliud agere videtur; tum sensim grauitatis & reprehensionis aculeos in ipsa delectationis titillatione iacit: ita quidem, vt ictus ille antequam vulnus fecerit, vix animaduertatur: animaduersus autem, præsentissimo statim remedio, ex purissima rectæ rationis luce, & limpidissimis Philosophiæ fontibus hausto, quam primum sanetur. Morborum enim animi medicos huius generis Poëtæ se profitentur. vnde iampridem Lucilius quoque dicebatur

Sale multo vrbem defricuisse, quando
Primores populi arriperet, populumq; tributim
Carperet, vni æquus virtuti atq; eius amicis.

Sicuti aliâs quoq; in vniuersum de hoc genere scriptionis argutè & concinnè dicitur, ei quodammodo propositum esse,

Ludere blanditijs vrentibus & male dulces
Fermentare iocos Satyræ mordacis aceto.

Saty-

Satyros autem illos capripedes, & à caprina lasciuia (σάθυ enim veteribus salacitas erat) sic dictos, Bacchiq; olim & Panis comitatui destinatos, huic generi poëmatum nomen dedisse credibile est. qui cum in actione dramatum oblectandi populi gratia saltantes, gesticulantes, & carmina maledica in alios iacientes, introduci solerent; vt eorum dicteria, vel tragicæ asperitatis diuerticula; vel comicæ iucunditatis, aut aliorum quoq; ludorum (Apollinaribus enim Liuius Andronicus primus carmina Satyrica argumento Comico interpolata exhibuisse scribitur,) additamenta essent: factum postea est, vt seorsim quoq; ab ingenijs festiuis illud Poëmatum genus vsurparetur, quod & naturæ Satyricæ quodammodo simile esset, liberum & dissolutum, omnia susq; deq; habens, modo aliquid diceret: eandemq; ob caussam ferè nec procœmium institueret, nec Epilogi rationem haberet. quamuis in eo ipso tractando alij maiori cum licentia

licentia & audacia; alij maiori cum circumspectione & modestia versarentur. Quod si elocutionem quoque Satyricam accuratius consideres; erit illa quidem humilis & vulgaris, & quasi de medio sumpta, & ad quotidianam colloquiorum consuetudinem quam proximè accedens: sed tamen eiusmodi, vt verborum tam simplicium quam compositorum elegantia, proprietate, & puritate; sententiarumq; arguto acumine, & vrbanitatis sale, ridicula deniq; acrimonia, aut etiam, vbi opus est, seria acerbitate, minimè careat. Itaq; nisi forte res ipsa aliud postulet, breuiora quoq; hic sunt omnia: crebri admodum dialogismi: argumentationes satis subtiles: ita vt plæraq; obscuriora quoq;, præsertim incipientibus, videri possint. Quod ipsum tamen obstaculum, & interpretis industria, & auditoris attentione & repetitione sedula, inprimisq; studio veræ & solidæ Latinitatis, quæ ex veterum scriptorum accurata tractatione

tantummodo haurienda est, facilè remouebitur. Sed dicet fortè aliquis, cur tu Latinitatem ex veterum solummodo lectione & tractatione addiscendam tam accuratè & multoties clamas & inculcas? annon perinde est, modo res ipsas intelligam, quanam elocutione, siue veteri, siue recenti eas efferam? Huic ego, si temporis breuitas permitteret, respondere satis luculenter; & non sine rationibus & argumentis euidentissimis demonstrare possem, plurimum referre, hoc ne an illo elocutionis genere, in rerum bonarum & grauium tractatione vtare. Sicuti enim certum est, sine copiosa illa & perfecta, seu potius ad perfectionem quam proximè accedente, qua veteres illi vsi sunt, humanarum cogitationum explicatione, nihil purè & dilucidè, nihil distinctè & certo ordine; sed omnia praue, perperam, dissolutè & perturbatè indicari: ita ex aduerso negari non potest, ad eam obtinendam, cum labore magno, tum tempore non

exiguo

exiguo opus esse: vt rideri ea & damnari, quam acquiri & comparari longè facilius possit. Quam ipsam ob causam, neq; iam pridem defuerunt, neq; etiamnum desunt, qui apud adolescentulos imperitos istam miseriam defatigationis, in vero sermonis vsu, ex antiquorum auctorum sedula tractatione consequendo, non solum contemnant; sed etiam exsecrentur: vt sic ea vel exsecratione, vel reprehensione, vel etiam ὀλιγωρίᾳ suam ignorantiam tanto suauius consolentur, & ignauiam eò tutius occultent. Sed frustra hoc agit malitiosa & versuta improbitas. Nihil enim fictum & simulatum quod sit, durabile esse potest. Et ea ferè natura est barbariei, etiam in ipsa rerum omnium inscitia mirificè se efferentis, vt diu celari non possit; sed vt suo seipsam indicio, veluti sorex, aut asinus ille Cumanus, statim prodat: omniumq; bonorum &, verè eruditorum hominum, vel misericordiæ, vel risui se ipsam propinet. Contra hanc igitur

tot capitum beluam, denuo maiori quasi cum impetu in bonas literas irruentem, sedulo nos muniamus, eiq; labores & vigilias nostras, in veterum præcipuè monumentis, & inter eos in Horatio quoq; nostro consumendas, fortiter & intrepidè, Dei optimi maximi benignitate cumprimis & auxilio freti, opponamus: & ab hoc honestissimo instituto, neq; ignauiæ illecebris, neq; falsæ persuasionis fuco, neq; etiam barbarorum clamoribus & cachinnis, si modo patriæ dignitas, & miseræ posteritatis (in quam hæc tempestas potissimum eruptura videtur) salus cordi est, nos abduci aut dimoueri patiamur. Quodipsum profectò, non sine causa prolixius hic inculcandum censui: præsertim miseris his & deploratis temporibus, quibus, si vnquam aliâs, certè his admonitionibus & incitationibus, maximè apud Iuuentutem opus esse, omnes qui non cœci, & rerum quæ in mundo geruntur, planè ignari sunt, euidentius quam rei-

pub.

pub. litterariæ expedit, animaduertunt. Inprimis vero, quod nostræ huic professioni proprium est, denuo ingenuos, ingenuarumq; disciplinarum studiosos adolescentes & hortor & moneo, vt non solum Latini, verum propter hunc, & inprimis ipsum quoq; Græcitatis studiosissimum Horatium, Græci etiam sermonis cognitionem veram & solidam sibi comparent: ita vt vtriusq; linguæ nobilissimos scriptores, maximè veteres, quantum in hac mortalitatis nostræ imbecillitate fieri potest, exactè intelligere, eorumq; mentem & sententiam assequi possint. quod in Græcis vt plurimum sufficere sapientissimi quiq;, & in hac lingua nequaquam pueri, ferè arbitrantur. Latinam verò linguam, quæ vna iam quasi commune orbis Christiani vinculum censenda est, ita sibi familiarem efficiant; vt etiam loquendo & scribendo animi sui sensa & cogitationes, disserta, distincta, dilucidaq; oratione exprimere; easq; cum alijs, vbi opus est,

queant communicare. Quod nequaquam fieri poterit ab ijs, qui Latinitatẽ suam non ex limpidissimis veterum fontibus; sed vel ex fœtidis barbariei lacunis & sentinis, vel etiam ex torrentibus aut riuulis insipidis, turbidis, inquinatis, & pœnè aridis haurire maluerunt. Quorum quidem in manus si vel historicus, vel Poëta florentissimæ illius ætatis alumnus inciderit; tum verò inter Indos, vel Æthiopas ipsos sibi videbuntur versari. tantundem enim ferè de illorum atq; horum sermone intellexerint. Quam autem hoc turpe & dedecorosum sit, ei præsertim, qui Latini sermonis scientiam cum quodam supercilio ita sibi vendicet; vt etiam in lucem prodire, & de rebus grauibus in publico disserere, aut etiam alios in Latinis litteris erudire non erubescat; malo alios coniecturã facere; quam me cum nonnullorum forte offensione idipsum indicare. Idem hominum verè eruditorum de ijs iudicium est, qui vel in sermone, vel in Epi-

stolio

stolio, vnam atq; alteram voculam aut phrasin Græcam ex Synonymis aut phrasibus suis desumptam, temerè & absurdè subinde inculcant: aut etiam, quasi antequam conceperint parturientes, Græcitatem, vt ita loquar, suam, editis pagellis nobis (laudabilia interim ingeniosorum adolescentium in hoc genere exercitia & conatus, cum vero proficiendi studio coniunctos nequaquam improbo) ostentant: & tum ex intima quasi Græcia ad nos vsq; penetrasse videri volunt. Sed si ijsdem illis vel Thucydidem, vel Pindarum, vel Gregorium Nazianzenum, vel quemcunq; alium fortè etiam longè faciliorem Græcum scriptorem dederis interpretandum: tum verò subito obmutescere, & suam in lingua hac infantiam ipsi prodere cogentur. Quod illis euenturum fuisset nequaquam, si nobilissimam illam, & nunquam satis laudatam linguam, ex veterum autorum fontibus integrè & solidè potius discere; quam sordidos & putidos a-

liorum riuulos consectari, & ante tempus vmbram potius scientiæ simulare; quam suo tempore maturos veræ doctrinæ fructos ferre maluissent. Neq; enim cuiusuis est, rectè & cum laude Græca scribere. Sed quod eloquentissimus nostræ ætatis Orator, in quadam Epistola de exercitijs poëticis pronunciat, id ego ad scriptiones istas semigræcas censeo non absurdè posse accommodari. Malè Græca scribere, turpè est: mediocriter; inglorium: benè; difficilius, quam vt præstari possit ab ijs, qui non toti veterum scriptorum monumentis sunt innutriti & imbuti. Ita enim natura comparatum est, vt res & artes quæcunq;, quæ voluptatis & ornamenti potius, quam necessitatis causa expetuntur, nisi aliquid eximij & exquisiti in se contineant; ferè negligantur. Quæ quidem omnia iusto forsan prolixius à me commemorantur: non vt quemquam carpam: aut quod me ipsum in vtraq; lingua vsq; adeò credam excellere. Sum enim tenuita-

nuitatis meæ optimè mihi conscius. Sed eò omnia diriguntur, vt ab itineribus istis perplexis & deuijs, quæ plerique iam sequuntur, nonnullos saltem reuocem, ipsisq; persuadeam, vt in plenam & solidam vtriusq; linguæ cognitionem seriò & sedulò incumbant: easq; non ex riuulis, sed fontibus potius à teneris, vt aiunt, vnguiculis imbibendas, & in iuuenili quoq; ætate excolendas & perficiendas sibi esse statuant. Et quidem ad Latina quod attinet, de Horatio, quem iam in manibus habemus, hoc vobis adolescentes optimi confirmare non dubito, qui eum rectè & integrè intelligat; eum linguæ Latinæ prorsus rudem nequaquam censeri debere: et futurum quoq; esse, vt eidem in omnibus alijs scriptoribus Latinis, tam historicis quam oratoribus; tam philosophis quam poëtis; omnia intellectu sint faciliora & expeditiora, quam alijs eiusdem ignaris. Vos oblatam in præsentia occasionem cognoscendi & intelligendi auctorem

venustissimum, argutissimum, sapientissimum, & in suo genere eloquentissimum (quod equidem satis superq; hac oratione demonstratum esse mihi persuadeo) nequaquam negligite: sed libris & animis ita ad hanc lectionem instructi accedite; vt fructuum quoq;, quos sanè multiplicies commemorari hoc biduo audiuistis, reuera participes fiatis. Quod ad me attinet, sedulò equidem operam dabo, vt nec studium, nec fides, nec assiduitas mea merito à vobis possit desiderari. DIXI.

EIVSDEM.

ORATIVNCVLA

Habita 8. Maij Anno 71. cum in Laureæ philosophicæ renunciatione Procancellarij officio fungeretur.

SApientissimus ille et eloquentissimus apud Græcos Xenophon, qui propter ingenij

genij suauitatem Socraticam apis Attica appellabatur, antequam nobilem illam suam Cyri παιδείαν aggrediatur, pauca quædam, eaq; mirum in modum insignia, de Persarum institutis & moribus, maximè quæ ad iuuentutis educationem, omniumq; ætatum ordines & exercitia pertinerent, præmittit. Qua ipsa in parte Persarum consuetudinem, aliarum nationum & Rerumpub. moribus, longissimè præfert. Cum enim pleræq; aliæ, leges suas non à primæ sed iam adultæ ætatis informatione & gubernatione ordirentur; fieri apud eos solebat, quod quidem fieri necesse fuit, vt vnusquisq; ea qua sibi videretur ratione suos educaret. & quia omnibus ætatibus paucissimi sunt, qui rectè & commodè in hoc officio versari possint; magna ex parte aut indulgentia, aut asperitate nimia iuuentus corrumpebatur. Corruptæ iam & sceleribus imbutæ, leges demum de obedientia, iustitia, continentia, vitandis rapinis, furtis, adulterijs & huiusmodi proponebantur: pœnæq; delinquentibus constituebantur. Cum ad ea ipsa virtutùm officia, multò rectius, maioriq; cum fructu statim ab ineunte ætate, graui & laudabili educatione assuefieri potuissent. Adultis e-

tis enim vitiorum turpitudinem difficilius est dediscere (si tamen hoc fieri vnquam potest) quam teneriori ætati addiscere virtutem. Itaq; Persæ, quantum in assuefactione prima momenti positum esset, non ignari, legibus & institutis suis hæc omnia anteuertebant, vt pote primum in hanc curam incumbentes, ne pueri ipsi aut adolescentes etiam in lubrica illa ætate eiusmodi essent, vt improbo aut scelerato aliquo facinore polluerentur. Id autem qua ratione effecerint, narratione quàm potero breuissima, eaq; vt spero nec inutili nec iniucunda, vobis viri clariss. & adolescentes optimi, modo id patiatur, de qua nihil vnquam dubitaui, humanitas vestra, commemorabo. Forum seu publicum Gymnasium habebant Persæ, quod liberum appellabant. id palatio regis erat finitimum. quem in locum publicæ disciplinæ destinatum, non mercatoribus accessus erat, non scurris, non alijs leuibus & circumforaneis hominibus, quorum clamoribus, nugis & ineptijs mores eorum, qui eleganter, & ad communes patriæ vtilitates informandi essent (eum enim finem vnicè propositum habebant) corumpi possent. Locus ipse, in quatuor partes erat distributus,

tus. quarum prima pueris, altera adolescentibus, tertia viris, quarta senibus erat destinata: & vnumquemq; suo in loco adesse, & officio fungi oportebat. Erant enim singulis classibus duodecim præfecti principes, quorum auctoritate inferiores in officio continerentur, & contra facientes punirentur. Pueris senes præerant: adolescentibus matura ætate viri, qui vtrosq; effecturi quam optimos videbantur. Ipsis autem viris & senibus, ex suis ordinibus maximè conspicui & eximij, iamq; pæne emeriti, inspectores deligebantur, vt ibi quoq; contra officium delinqueret nemo. Quin honor etiam certus moderatoribus illis erat constitutus. Quacunq; enim in tribu quam plurimi erant egregij, & summa virtute & fortitudine præditi; eius non præsens tantum gubernator ab omnibus laudabatur, honoreq; afficiebatur; sed ille etiam qui pueros eos informauerat, sua gloria & præmio non fraudabatur. Atq; vt de singulis ordine dicam, Pueri Persarum ingenui, quos primam classem occupasse meministis, ab anno ætatis sexto ad septimum decimum, non in familia paterna à materculis aut nutricibus indulgentibus; sed ad regis palatium à

um, à senibus grauitate & integritate præstantibus, educabantur. Ad quos ante lucem signo edito conuocati, maximam diei partem in exercitijs iustitiæ consumebant: cum inter sese coram præfectis, accusationibus & defensionibus mutuis intenti, causas agerent: & de scelere aliquo conuictos graiter punirent. Inter quæ primo loco τὴν ἀχαριστίαν collocat Xenophon, quàm maximè probrosam apud Persas fuisse innuit, cùm eam ἡ ἀναισχυντία, μεγίστη δὴ πάντα τὰ αἰσχρὰ ἡμερῶν, consequeretur. Discebant pueri ijsdem magistris præter τοξευτικὴν, alias quoq; virtutes certè maximas, & omnium reliquarum pæne matres, nimirum Obedientiam, Veritatem, Temperantiam & Continentiam. In victu ad Sobrietatem assuefiebant. domo enim panem solummodo in cibum, & nasturtium pro obsonio afferebant, vnà cum poculo fictili, vt sitientes è flumine, quod biberent, haurire possent. His omnibus vt pueri eo rectius imbuerentur; nihil illis præceptores iniungebant, quod non ipsi summo studio fecisse & facere, imo deinceps quoq; facturi viderentur. Altera apud Persas classis adolescentium erat, hi ab anno ætatis

ætatis decimo septimo, decem sequentes, ad continuanda studia virtutum, & maximè τῆς σωφροσύνης, in conspectu moderatorum perpetuò versabantur. Requirere enim hæc ætas maximam curam studiumq; singulare videbatur. illis igitur sua officia deferebant, vbi vel noctu excubandum, vel diluculo surgendum, vel arma tractanda, vel hostes aut latrones persequendi, vel quid aliud alacriter & celeriter esset conficiendum. Iidem in venatione, quæ omnium pæne bellicorum laborum γεωμνάσιόν habet, item in rusticationibus exercebantur: vt eorum in fortitudine animi, & officijs militaribus, simulq; in firmitate corporis & robore indies augeretur industria. A voluptatibus etiam hic ordo studiosissimè arcebatur: & ad famem sitimq; ferendam, summamq; adeo animi & corporis patientiam assuefiebat. Et certè in vniuersum tanta in victu apud omnes ordines Persarum moderatio fuit; vt alimento vterentur sane tenui: & illud ipsum labore continuo plane absumerent: quo tantam sibi corporis integritatem & siccitatem quasi comparabant; vt turpe & ignominiosum prorsus haberetur,

tur, si quis aliis videntibus, non solum expueret aut emungeretur, verum etiam si flatu aliquo distentus conspiceretur. Itaq; ad hanc ipsam eodem modo sentiendi & viuendi consuetudinem in secundo hoc adolescentium contubernio diligentissimè conformabantur: donec in tertiam virorum nimirum societatem commigrarent. in eam autem translati qui essent, ipsi quoq; senibus & magistratui præstò erant: & ad eorum mandata obsequentes, si quid forte gerendum esset, quod non solum virium robore; verum animi quoq; consilio & prudentia indigeret. Idem postea aut officijs publicis præficiebantur: aut post annum ætatis quinquagesimum in Senum, qui quartus & postremus erat, ordinem transibant. in quo tanquam emeriti à laboribus quidem & muneribus bellicis immunes erant, domiq; manebant: sed in administranda iustitia, in formandis pueris et adolescentibus, in delinquentibus puniendis, omniumq; adeo virtutum exemplis, & auctoritate singulari, patriæ salutarem operam nauabant. Neq; vero vllus vel in senum, vel in virorum contubernium admittebatur, qui non in inferioribus classibus annos vsitatos, se-

cun-

cundum præscriptum legum, inculpatè consumpsisset: aut si quis propter scelus aliquod loco motus, vel ex ordine suo eiectus esset; eum nemo recipiebat, sed is toto vitæ tempore infamis habebatur. Cum alij διὰ πάντων τῶν καλῶν ἐληλυθότες, maximo inter seniores honore afficerentur. Hac igitur ratione disciplinæ & exercitiorum, & graduum distinctione si vterentur, optimos se fore Persæ olim existimabant. Idq; non immerito. Præter enim Cyrum, qui ipse quoq; eodem institutus est modo, alij multi ea in gente fuerunt, qui forma pulcherrimi, animo humanissimi, doctrinæ & honorum cupidissimi, laborum & periculorum patientissimi, omnibus deniq; virtutibus excellentissimi essent: etiamsi hoc ipso nomine Cyrum præcipuè Xenophon commendet. Quod si maiorum nostrorum instituta & mores cum hisce conferamus; non minorem certè curam & prudentiam; classes verò etiam aliquanto plures deprehendemus. etiamsi posteritas ab illorum viuendi ratione non mediocriter desciuerit: maiorq; in moribus iuuentutis sit dissolutio. De vitæ autem genere Scholastico maximè loquor. Voluerunt igitur illi tene-

ram ætatem in scholis puerilibus prima pietatis & litterarum elementa perdiscere, tantisperq; ibi sub disciplina detineri, donec scholis superioribus, quæ secundam Persarum classem adumbrant, idonei redderentur. In hoc etiam ordine qui laudabiliter versati essent; ex numero adolescentium in superiorem Magistrorum consessum adoptabantur: & si hic quoq; suo officio cum laude fungerentur; paulatim in seniorum, seu docentium & regentium alios collegia recipiebantur. De quibus omnibus, si tempus fe[illegible], dicendum erat prolixius: quod fieri iam commodè non posse ipsi intelligitis. Ideo autem hoc loco Persicarum illarum classium mentionem facere volui: vt ostenderem, non recens in scholis inuentum esse hanc ordinum et classium distinctionem: sed ab vltima illa antiquitate originem ducere: quæ quo propius aberat ab ortu & diuina progenie; hoc melius ea quæ erant vera et recta, vt Cicero loquitur, cernebat. Sæpe autem aliàs de huius ipsius εὐταξίας vtilitatibus & necessitate orationes habentur, quarum argumenta hic repetere non debeo. Vnum hoc præterire non possum, quin veræ virtutis & eruditionis studiosis locum illum

Xeno-

Xenophontis, qui in principio παιδείας Cyri est, accuratè commendem: eosq; hortet vt quantam adolescentes illi Persici in fortitudinis bellicæ, cæterarũq; virtutum eo spectantium acquisitione curam & industriam posuerunt; tantam ipsi quoq; in vera pietate, modestia & eruditione consequenda, diligentiam insumant. ita paulo post Deo & hominibus chari, & Ecclesiæ Reiq; pub. honori & emolumento sunt futuri. Nunc quod institutæ orationis proprium est, assentior collega carissime petitioni tuæ. & cum octo isti eruditione & virtute præstantes viri, ita in inferioribus classibus Scholasticis sint versati; vt merito quodam suo, in superiorem Magistrorum ordinem cooptandi videantur: id quod in priuatis & publicis examinibus ipse vna tecum satis exploraui: Ego illustrissimi principis & Domini D. Vdalrici ducis Megapolitani, & Academiæ nostræ Cancellarij digniss. iussu et auctoritate qua in præsentia fungor, tibi N. N. Collegij Philosophici Decano licentiam & potestatem tribuo, hisce octo eruditis & honestis viris conferendi insignia Magisterij Philosophici. quæ quidem non ad scientiæ ostentationem,

non ad ignauiam, non ad fastum thrasonicum, quem nonnunquam horum titulorum accessione excitari cum dolore animaduertimus: sed ad veræ & solidæ eruditionis, humanitatis, modestiæ, & ante omnia veræ pietatis studium augendum conferri solere, candidati nostri non ignorant. Deum autem precor patrem Domini & seruatoris nostri Iesu Christi, vt nostra horumq; candidatorum studia & actiones regat & fortunet, easq; honorificas & salutares velit esse Ecclesiæ patriæ & nobis ipsis. DIXI.

NATHANIS CHYTRÆI
DE PRAEMIIS ET POENIS ORATIO, IN SIMILI solemnitate habita anno 1584. VII. Aprilis.

CVm officij, vt videtis, ratio hanc dicendi necessitatem mihi imponat; non vtar prolixiori vel excusatione, vel insinuatione, quas in huiusmodi solemnitatibus magis

magis auditoribus moleſtas & odioſas, quam beneuolentiæ & attentionis conciliatrices eſſe ſolere, in me ipſo experior. Quin potius ad rem ipſam me conuertam, vbi prius pauca quædam de præmijs & pœnis, eorumq; vſu & neceſsitate in quacunq; gubernatione in medium protulero. Solon ille Salaminius, qui, Cicerone teſte, ex ſeptem illis Græciæ ſapientibus fuit ſapientiſsimus; & legum ſcriptor ex illis ſeptem ſolus; prudentiſsimè veriſsimeq; dicere ſolebat; Rempublicam duabus potiſsimum rebus contineri; præmio & pœna. quaſi confirmaret, totam rerumpub. diſciplinam labefactari & corruere, duobus iſtis quaſi fulcris aut munimentis ſublatis. Optimè quidem, & præclariſsimè nobiſcum ageretur, ſi ea eſſet naturæ noſtræ integritas, ea alacritas, qua honeſtum per & propter ſe colendum, amore virtutis vltro perſequeremur: & à ſceleribus, non formidine pœnæ, ſed proæreſi quadam laudabili ipſi abſtineremus. Tum enim nullis præmijs, nullis etiam pœnis opus eſſet futurum. Cum autem carcerem hunc noſtrum in hac mortalitate adhuc circumferamus, in quo ad virtutem ferè ſegnes & i-

gnaui; ad vitia autem proni admodum & procliues sumus; & sæpe cupiditatibus pravis extra metas abripimur: sapientes quoq; illi homines gentiles vidêre, tarditatem hanc generis mortalium, aliquibus, iam allectamentis, iam etiam remoris & impedimentis adhibitis, corrigendam esse. Quocirca cum animaduerterent, magis ferè caligare aciem mentis nostræ, quam vt sola boni pulchritudine afficiatur: viderent item frigere in plerorumque animis æqui iustique curam, nisi suus virtuti honos constet: imo neminem ferè inueniri, qui facinus aliquod magnum & memorabile, & maximè si id cum vitæ quoque periculo coniunctum sit, suscipere velit; nisi honesto quopiam præmio prouocetur: varios subinde virtutem excitandi ornandi, & cohonestandi modos excogitarunt: de quibus nonnullos paulò post sigillatim commemorabo. Cum item reipsa experirentur, vsque adeo efferam & effrenem sceleratorum libidinem & intemperiem, imò rabiem quoque esse; vt non aliter quam seueritatis aliquo rigore, pœnarumque animaduersione grauiori, tanquam freno,

freno, in officio contineri & coërceri possent; de diuersis quoq; mulctis, quæstionibus, pœnis & supplicijs necessariò cogitandum illis fuit: si modo generis huius nostri societatem saluam & incolumem conseruare, & ad posteros quoque vellent prorogare. Et quidem ad præmia quod attinet, satis ex Homero, Virgilio, Pindaro, & historicis quoque patet, familiare admodum priscis illis heroibus fuisse, ἄθλα ἢ νικητήρια τιθέναι: vnde & nomen suum athlotheta accepit, cuius quasi personam, vt apud Homerum Achilles; ita in Virgiliano agone epitaphio Æneas sustinet, cum ait.

Prima citæ Teucris ponam certamina classis.
Quiq; pedum cursu valet, & qui viribus audax:
Seu iaculo incedit melior leuibusq; sagittis:
Seu crudo fidit pugnam committere cæstu:
Cuncti adsint, meritæq; expectent præmia palmæ.

Et quidem qualia singulorum præmia tum fuerint, ex eodem libro patet. Nimirum talia, quæ non tam muneris magnitudine & precio; quam honoris ipsius dignitate et præstantia commendarentur. Id enim animus præter laudem nullius auarus, in ijs potissimum spectat. Quod si sacram

quoq; historiam hac in parte consulere nobis libeat; videbimus primis quoq; illis temporibus, in gente sacrosancta moris fuisse, virtutem præmijs certis propositis exstimulare. Calebus certe ille heros integerrimus cum Hebronem obsideret, & expugnatio difficilis esset; filiam suam vxorem illi promisit, qui primus in ciuitatis illius mœnia inuasisset. Idq; cum præstitisset Othoniel iuuenis acerrimus; filiam suam Axam in matrimonium illi collocauit: promissorum scilicet obseruantior, quam Saulus Ebræorum Rex fuit erga Dauidem. Cum enim Saulo ipsi, totiq; adeo regno Israelis, gigas ille immanis & ferox Goliathus formidini & probro esset; militum suorum in monstrum illud animos, præmijs, ijsq; minimè vulgaribus Rex voluit exacuere. Victori enim Goliathi promittitur affinitas primò regis: promittuntur postea maximæ diuitiæ: promittitur deniq; nobilitas & immunitas toti familiæ. qui tamen ipse Rex postea in promittendo potius facilem; quam in præstando promissa veracem & fidelem se esse declarauit. Sed misso hoc in Deum & homines perfido rege, de Dauide potius agamus. Is igitur vt aliarum virtutum, ita

forti-

fortitudinis quoq; bellicæ exemplar absolutissimum, istas etiam militibus calcar admouendi rationes cum alibi, tum inprimis in arcis & præsidij firmissimi Iebusæorum oppugnatione non ignorauit. Ei enim, qui primus canales perfregisset, & arcem inuasisset, principatum totius exercitus regij pollicetur. qua quidem ipsa oportunitate, Ioabum dignitatem illam suam imperatoriam in populo Dei obtinuisse, nonnulli arbitrantur. Tale apud Romanos fuit aurum coronarium ex gentibus deuictis: item locus in circo ad spectandum, cum laurea & sella curuli, inter viros consulares & triumphales: statuæ præterea in foro & alibi equestres & deauratæ, cum inscriptionibus magnificis. Honorifici deniq; tituli, & appellationes virtutis & victoriarum indices. vt cum aliquem patrem patriæ appellauere: quod, Plinio teste, inter omnes M. T. Ciceroni primo contigit. Item gloria & pompa triumphalis. Neq; huiusmodi ad virtutem excitamenta militiæ Romanæ incognita fuere: vbi toties celebrantur coronæ ciuicæ, murales, castrenses, vallares, nauales, & aliæ quoq; rationes viros fortes cohonestandi. Inprimis vero Græcos, interq; hos A-

Athenienſes illos, huius laudis cupidiſſimos fuiſſe, & quidem non militares tantum homines; ſed multò magis viros ſapientia & doctrina conſpicuos, eos ſolitos fuiſſe peculiaribus honorum inſignibus condecorare; cum aliunde, tum imprimis patet ex Diogenis Laërtij vita Zenonis Cittici, philoſophi Stoici, vbi memorabile prorſus Athenienſium de hoc Zenone decretum in hanc ſententiam recitatur. Quoniam Zeno Mnaſæi filius, Citticus, conplures annos in ciuitate, vt Philoſophum decet, verſatus ſit: atq; in omnibus vir bonus eſſe perſtiterit: ac iuuenes, qui ad illum diſciplinæ cauſa conueniſſent, ad virtutem & frugalitatem exhortando, ad ea quæ ſunt optima inſtruxerit: vitam quoque ſuam verbis ac doctrinæ ſuæ conſentaneam exemplar omnibus præponens: bona fortuna inquiunt, viſum eſſe populo Athenienſi publico honore Zenonem afficere. Quapropter primo aurea corona, propter ſingularem virtutem & temperantiam, eum ritè ac legitimè, adhuc viuum, exornarunt. deinde ſumptu publico ſepulturam honorificam in Ceramîço illi conſtruxêre. Et hoc ipſum decre-

decretum, in duabus columnis, eodem exemplo descripsere. quarum altera in Academia poneretur; altera in Lycæo, addito epiphonemate hoc planè singulari. fieri nimirum hæc omnia, vt omnes intelligant, populum Athenienſium viros bonos, & viuos & defunctos honorare. Apud eosdem verò Athenienses, ante hæc tempora, effecerat is, de quo initio dixi, legislator Solon, vt præmia his qui in Olympijs aut Nemeis viciſſent, non quidem adimerentur; ſed nonnihil tamen contraherentur: vt eo maiora & honorificentiora decerni poſſent ijs, qui in bello pro patria fortiter occubuiſſent: dicens Olympionicas illos, et dum exercentur, magnis impendijs exerceri: & ſi vicerint; magis aduerſus patriam, quam aduerſus hoſtes coronari: & cum conſenuerint; ad nihil vtiles euadere: haud aliter, quam pallia detrita. vt videlicet, nec bello ſint habiles: nec gerendæ Reipub. accommodi. Ex quo quidem ipſo patet, eos non temere ad honores huiuſmodi decernendos profiluiſſe: aut quælibet in quoslibet ſine iudicio contuliſſe: ſed prudenti diſcrimine adhibito, pro meritorum ipſorum diuerſitate, iam præmia his quidem imminuere,

alijs

alijs vero augere consueuisse. Quales verò fuerint veterum illorum, tam Græcorum quam barbarorum viros benemeritos honorandi & ornandi modi, omnium, vt credo, plenissimè ostendit Aristoteles in Rhetoricis. Octo enim ibi modos ponit, quibus Græci hàc in parte vti soleant; duos, quibus barbari. Inter quos ipsos nonnulli satis honesti & probabiles erant; nonnulli etiam planè immodici & præposteri. Quod enim cibaria è publico, vtpote in Prytaneo, benemeritis, maximè iam senio & paupertate confectis, decernebant: quod in congressibus & consessibus locum illis superiorem & honoratiorem concedebant: quod virtutes ipsorum monumentis publicis, vel soluta oratione, vel versu constantibus, celebrari, & immortalitati consecrari volebant: (hic enim honor viris tantum illustribus, & publica ferè auctoritate interueniente, olim à poëtis præstantibus habebatur) quod item præmijs publicis, statuis, & sepulchris magnificis eosdem condecorabant: ferri vtcunq;, aut etiam laudari potuit. Quod autem agros & lucos quoq; aliquorum nominibus religiosè consecrarunt: quod item sacrificia, & alios diuinos honores

res cum anniuersarijs solemnitatibus coniunctos, imperatoribus suis, per ἀποθέωσιν in numerum deorum relatis, constituerunt; id prorsus est improbandum: & ipsorum in vera pietate cæcitati & ignorantiæ adscribendum. Ad adorationes verò τὴ ἐκζώσεις, licet eas Aristoteles tantum barbaris proprias faciat, quod attinet; scimus in sacra quoq; historia Reges à subditis, non quidem religiosa, sed ciuili tantum adoratione obseruari. Ideoq; illa, his quoq; metis circumscripta, vsurpari adhuc potest. ἔκστασιν verò seu excessionem, cum videlicet quis, ab eo quem honore vult afficere, longè se proripit, tanquam illius veluti numinis alicuius intuitum ferre non possit: vt semper olim barbarica est habita; ita nunc quoq; eam barbaris & Tyrannis, quales iam sunt Mosci & Turcæ, & multi alij, relinquamus. Ferre enim illi non possunt, vt quis liber sit, aut liberè intentisq; oculis ipsos intueatur. Quod à bono principe & rege prorsus est alienissimum: qui & mortalitatis suæ ipse quoq; memor est: & non tantum cogitat, quam ipse sublimem supra subiectos sibi locum obtinuerit; sed potius quam longè infinitisq; modis inferior sit Deo, cui

admi-

administrati officij rationes exactissimæ, certò olim, vel potius iam iam sint reddendæ. Imo fuerunt etiam inter reges Ethnicos nonnulli intelligentiores & moderatiores, quam vt huiusmodi adulationes admitterent. De Agesilao certè rege Spartano legimus, quòd cum Thasij, de quibus ille optimè meritus erat, ipsum templis & alijs diuinis honoribus dignati essent, eademq; de re singularem ad Agesilaum legationem misissent, quæ de his ipsis honoribus eum faceret certiorem: quòd, inquam, Agesilaus tum interrogauerit legatos illos Thasiorum, Num ipsorum patria potestatem haberet ex hominibus faciendi Deos? Thasijs vero, habere se, respondentibus; dixerit Agesilaus: si ergò ea penes vos est potestas; agedum primò vos ipsos Deos facite. id si præstiteritis; tum vobis credam, quod me quoque Deum facere possitis. Quid quæso aptius, quid elegantius, quid argutius, quid deniq; grauius adulatoribus istis à rege optimo responderi potuisset? Quid etiam verius & concinnius contra idololatricas illas ἀνθρωποποιήσεις, quibus calendaria & olim repleta sunt; & etiamnum quotidie plures eundem in modum infar-

infarciuntur; dici hac quoq; tempestate posset? Nam hoc etiam præmium, hunc honorem inter eos esse, qui modum excedunt, & magis ridiculi quam honorifici sunt, dubitari non debet: præsertim cum ipse etiam Virgilius, licet poëta gentilis, tamen veritatis euidentia, & rei huius absurditate victus, alicubi consuetudinem istam impiam ex hominibus Deos faciendi, falsè admodum & scopticè perstringat, verbis his paucis quidem sed admodum aculeatis. Et numerum Diuorum altaribus augent. Quasi verò ad hominis alicuius superstitiosi, aram in his terris extruentis, & eam mortui alicuius nomini consecrantis arbitrium, statim in cœlo quoque numerum diuorum augeri sit necessarium. Sed de his plura ferè quam initio constitueram. E quibus liquere iam puto, primo omnibus fere gentibus vsitatum fuisse, virtutis studium præmijs certis propositis exstimulare: virosq; virtute eximios, & viuos & mortuos honoribus certis afficere. deinde quoque magnam eius consuetudinis fuisse vtilitatem.

Iam de pœnis quoq;, vt promisi, paucis est dicendum, quibus certè, in tanta hac bono-

bonorum paucitate, & malorum multitudine, Rempublicam multo minus quam præmijs carere posse, certum est. Optabile quidem esset, ita omnes Respublicas esse constitutas, vt virtuti certa semper præmia, improbitati certæ pœnæ essent propositæ. Ita enim eæ in maximo semper flore essent futuræ. Sed cum idipsum à nobis optari magis quam obtineri vnquam possit (quandoquidem plerarumq; Rerumpub. ea iam est ratio, vt aut nulla virtuti præmia constent, nullæ sceleribus pœnæ: aut vt, quod multis in locis fit, præmia in pœnas; pœnæ in præmia conuertantur: tanquam, vt est in Milesiorum prouerbio, nemini apud se bono locum esse debere credant) satius tamen esse existimo præmia quam pœnas negligere. Id quod in Iugurtha, Latinus ille Thucydides quoq; confirmare non dubitat, cum ait, In republica multo præstat beneficij quam maleficii immemorem esse. Bonus tantummodo segnior fit, vbi negligas: at malus improbior. Magis autem pernicioſum, & reipub. intolerabile est, si malorum indies crescant flagitia & iniuriæ: quam si bonorum ad virtutem impetus fiant remissiores. excitari enim

ti enim hi, si opus sit, aliquando iterum possunt. sceleratorum autem contumelia & libido, vbi semel modum excesit, reprimi & coërceri nunquam ferè, aut certè admodum difficulter potest. Etiamsi ergo magistratus in præmijs decernendis remissiores ferè sint: tamen sceleratorum pœnas præterire & negligere, nisi cum totius Reipub. detrimento & interitu non possunt. Verum quidem est, non in pœnis tantum seuerè & rigidè exigendis, omne magistratus officium consistere: cum præter alia complura hoc quoq; vel maximè sit agendum & prouidendum, vt flagitiorum quoq; occasiones & irritamenta, partim legib. partim honesta disciplina, partim alijs modis tollantur: atq; vna cum ijs sublatis, crebrò quoq; puniendi necessitas minuatur. Quo ipso indicio Sallustius quodam in loco Q. Metellum Numidicum magnum & sapientem virum fuisse colligit, insigniq; temperantia inter ambitionem sæuitiamq; moderatum. Is enim cum in Numidiam delatus, inuenisset exercitum culpa anteceſſoris sui neq; periculi neq; laboris patientem: linguaq; quam manu promptiorem: omnibusq; adeo ignauiæ & luxuriæ probris infamem:

atq; ideo non prius bellum contra hostes Numidas attingendum sibi statuisset; quam ad veterum disciplinam & labores bellicos militem reuocasset: ante omnia edicto proposito, inuitamenta & adiumenta ignauiæ sustulit; cæterisque vitijs arte modum statuit. atque ita magis à delictis prohibendo; quam pœnis & supplicijs delinquentes vindicando, exercitum breui admodum rempore ad pristinam alacritatem reuocasse, & in ea confirmasse perhibetur. Eodem igitur modo, non satis officio functum se putet Iudex, si furem laqueo sustulerit: nisi etiam passim obuia furtorum irritamenta, qualia apud nos sunt robustorum & iuuenum mendicorum otium & ignauia, quantum in se est, tolli, & quemlibet suorum ciuium, & inprimis otiosos illos, ad honestos labores assuefieri & adigi curauerit. Atque idem de similibus esto iudicium. Quod si vero tum aliquis dedita opera flagitiosus fuerit inuentus; & causa probè examinata erit & cognita: tum vero pœnas, à Deo præsertim constitutas, priuato arbitrio Iudex minimè relaxabit. Non enim homo clementior esse debet, quam

quam ipse est Deus. qui huiusmodi præpo-
sterè clementi iudici dicere poterit; Si
vis liberalis esse, de tuo largire, non de
meo. Ego istas sanctiones legibus addidi,
quas tu mihi relinques inuiolatas. Non
frustra gladium geris. Cum enim Deus ali-
quem puniri aut occidi à magistratu iubet;
tum illa ipsa pœna non amplius in magistra-
tus arbitrio posita est: neq; eius odium aut
inuidia rectè aut meritò in iudicem aut ma-
gistratum redundat. Is enim non suum
sed Domini iudicium exercet: & cum ex
Dei mandato puniat aut occidat: non iam
Iudex, sed potius Deus ipse manu sua huius-
modi sceleratos punire aut occidere iu-
dicandus est. Quid quod fontes punire, non
solum opus est prorsus sanctum & diuinum;
verum ipsi quoq; Reip. omnino vtile & ne-
cessarium. Est enim Respub. quasi corpus
quoddam ex capite & membris diuersis
arctissimè inter se coagmentatum & deuin-
ctum: quod ipsum profectò corpus sanum
saluumq; esse non potest; nisi praui & noxij
humores & membra putrida, id est homines
scelesti & nefarij, ab eo expurgentur, remo-
ueantur & rescindantur. Quæ etiam cer-
tè quam longissimè abesse est satius; quam

eorum contagio totum corpus inficì, & numquam ad valetudinem integram & vigorem suum solidum posse peruenire. Sicuti enim inutilia sarmenta à vitibus rescindi; & ramos aridos & inutiles ex arboribus amputari oportet, si modo quid fructus inde percipi velimus: ita etiam, nisi his vomicis abscisis & remotis, numquam integritatem & florem suum Respublica consequetur: tantum abest, vt ex flagitiosorum pœna aliquid eidem incommodi & detrimenti sit metuendum. Tolluntur enim hoc modo flagitia, quorum nullus vmquam finis esset futurus; si fontes vel prece, vel precio, vel gratia interueniente enaderent impune: atq; ita malis istis exemplis lex quædam impunitatis, præsertim potentioribus, constitueretur: aut pœnis nimis leuibus homines fortuna secunda, aut etiam petulantia ebrij & efferi, magis, quod ferè fit, ad scelera prouocarentur, quam coërcerentur. Sicuti igitur leges vno ore omnibus loquuntur; ita magistratus quoq;, qui est νόμος ἔμψυχος, eodem modo erga omnes eorundem scelerum reos debet esse affectus: & certò statuere, se non tantum crudelitate, verum etiam indulgentia nimia

pecca-

peccare, & Deum offendere. Quemadmodum enim non potest nec debet insontem punire; ita etiam, si verè officij sui meminisse velit, neq; debet, neq; potest, etiamsi maximè cupiat, sontem dimittere, aut suo arbitrio pœnam illi mitigare, aut ad aliorum scelera conniuere. Id enim committendo triplici fere modo, si non pluribus, peccat Magistratus. primo quidem in ipsum sceleratum, cui vtilissimum est, vt quam citissimè puniatur. Ita enim nolens volens cogitur finem facere peccandi. Et si verè & ex animo resipiscat, & ad Deum conuertatur; illa ipsa pœna in æternæ vitæ & salutis occasionem illi cedit: cum diutius peccando, grauiora, & huius & futuræ vitæ supplicia & tormenta fuisset promeriturus. Peccat igitur, vt dico, in ipsum sceleratum magistratus nimis lentus. Ipsum enim dum suo ingenio relinquit; non adigit eum ad resipiscentiam: sed facit vt subinde in hac impunè peccandi licentia se ipso fiat deterior. Sicuti enim Mimographo teste, cum vitia prosunt, peccat qui rectè facit: ita miser iste in hac scelerate agendi impunitate, flagitia flagitijs cumulat: donec tandem temporalium istarum pœnarum declinatio-

ne, in pœnas illas sempiternas, quibus nihil horribilius dici aut cogitari potest, seipsum præcipitet. Deinde in seipsum quoq; peccat magistratus nimis aliorum flagitijs indulgens. quia enim, cum posset impedire, non impedit malum; se quodammodo eiusdem auctorem constituit: & pœnas sibi ipsi attrahit. Qui enim non vetat peccare cum possit, iubet. Et vt in alio huic non dissimili versu est, Iudex damnatur cum nocens absoluitur. Postremò in alios quoq; & sæpe in vniuersam aliquam ciuitatem, aut gentem peccat huiusmodi magistratus supra modum lenis. Ea enim primò vis est prauitatis hominibus natura insitæ, vt vnico saltem impunitatis exemplo conspecto, statim ipsi quoq; faciant similia. Et quod vni impunè licuit; id sibi quoq; impunè licere arbitrentur. Aut si se puniri, alios præteriri: aut etiam partes læsæ suas iniurias à magistratu negligi sentiant: ibi oriuntur murmura, factiones, tumultus, seditiones, & si quæ mala sunt alia Rerumpub. euersionem proximè præcedentia. Nihil ergo in Republica melius est ἀπροσωπολημψία καὶ ἰσονομία, quibus fit, vt sine vllo personarum respectu, vno eodemq; modo, & quidem

quidem secundum leges præscriptas, ius omnibus administretur. Quod si id non faciat magistratus; sine vlla dubitatione sciat, grauius se contra Deum & Rempub. peccare conniuendo; quam homines etiam flagitiosissimi peccent delinquendo. Magistratus enim communem quasi totius Reip. sustinet personam. Cum igitur is aut dissimulat, aut defendit, aut non punit scelus aliquod hominis priuati cuiuscunq; tum id perinde habet Deus, ac si omnes vnà in illud ipsum scelus conspirassent, inq; eo designando quasi deprehensi essent. Vnde etiam fit, vt malum, quod paulo ante vnius aut alterius supplicio potuerat cohiberi: iam multorum millium, totarumq; adeo ciuitatum & gentium clade & exitio sit luendum. Quod quidem ipsum malum si maturè, &, sicuti decet, seriò & seuerè magistratus ipse puniuisset; nequaquam futurum fuisset, vt id Deus in aliis, & quidem tanto cum rigore & plurimorum interitu persequeretur. Malum enim, quod è medio ipse tolli iubet, non alia ratione tollitur, quam legitimè puniendo. Quod si idem à magistratu abeat impunitum; supereſt profectò, vt Deus ipse legem & iusticiam suam

ab hominum contemptu & neglectu vindicet: & ab ipsis subinde magistratibus, & populis vniuersis, vnà cum flagitiosis simul pœnas exigens, exemplum omnibus alijs formidabile horrendumq; statuat. Prudens igitur & circumspectus hic sit magistratus: & sicuti aliàs ratione officij subditorum saluti prospicere tenetur: ita hac quoq; in parte nequaquam eam negligat aut prodat; sed enormia delicta, sine vlla spe veniæ, puniat: certoq; sibi persuadeat, non ita coram Deo graue & deforme esse peccatum supplicio domitum & repressum; quam si abeat impunitum, & à debito supplicio sit seiunctum. Tum enim prorsus, & per omnia abominabile est Deo: cum nihil omnino penes se habeat, quod non sit malum & inordinatum, & iustitiæ diuinæ extremè aduersum & exosum. Cum contra ratione additæ pœnæ saltem aliquid habeat iusti sibi coniunctum: neq; per omnia vsq; adeo fœdum & abominabile possit haberi. Quo ipso etiam nomine supplicia quantumuis acerba sontibus ipsis tolerabiliora videri debebant. Neq; tameninterea ignoro, quid alij contra disputent. Sed potiora sunt in animo meo illa ipsius Iehouæ. Non parcat

oculus

oculus tuus. Non parcas vxori quæ dormit in sinu tuo. Item, Homicidam voluntarium ab ara mea auferes, & afficies morte. Cuius sanè ipsius dicti mentio in memoriam mihi reuocat miserabilem illum exitum eius cuius paulo ante quoq; memini, Ioabi auunculi regis Dauidis, & summi copiarum illius Ducis, fortis quidem & callidi; sed vindictæ supra modum cupidi & crudelis. Insidiosè is manu sua, durante bello ciuili, interfecerat viros se præstantiores duos, Abnerem ducem Saulis, & Amasam ducem Absolonis consobrinum suum. Quod ipsum, etiamsi acerbissimè ferret rex Dauid; tamen certis, & procul dubio grauibus de causis, pœnas tantorum scelerum non statim est persecutus; sed Ioabi homicidia post mortem demum suam à Salomone voluit, & seriò iussit vindicari & puniri. In quibus equidem pœnis declinandis aut effugiendis planè nihil Ioabo profuit, quod regi sanguine esset coniunctus: quod tam longo tempore rei militari fuisset præfectus: quod tantas & tam memorabiles toties ex hostibus reportasset victorias: quod item tum temporis supplex ad aram Domini confugisset. Nihilominus enim ad ipsam

etiam aram interfici eum iubet Salomon; vt ita sanguis, quemadmodum ipse loquitur, Abneris & Amasæ reuerteretur in caput Ioabi & posterorum eius: Dauidi autem, & soboli, & domui, & throno eius esset pax à Iehoua in omnem æternitatem. Et hoc sanè ipso modo regnum Salomoni confirmatum esse in historia sacra scribitur. E qua equidem narratione, præter cætera, duo potissimum πεῖσμαπα planè singularia elici mihi videntur posse: quorum prius est; Magistratum nota & atrocia scelera non punientem, nunquam habiturum pacem aut benedictionem à Deo. sine autem ea quid quæso possit esse magis infelix, ærumnosum, aut funestum? Alterum; cum de sontibus iustæ pœnæ sumuntur; regna solidius et certius confirmari & stabiliri: tantum abest, vt vllam vel minimam in partem, quod magistratus tamen præposterè sapientes vereri solent, eo modo labefactentur aut imminuantur. Memorabilia quoq; sunt præter hoc & alia non pauca sacrarum litterarum exempla, è quibus apparet, quantopere Deus sinistram illam lenitatem, & quasi ἀνομοθησίαν verbo & mandatis suis contrariam, vlciscatur. Expressè Deus iusserat, vt Rex Saulus,

parta

parta victoria, ad vnum omnes Amalechitas interficeret. Saulus vero, nescio quid in speciem prætendens, parcit regi eorum Agago: eoq; modo in suij ipsius exitium ad grauissimam iram & indignationē Deum prouocat: & à Samuele hoc nomine seuerè reprehenditur: & nihilominus postea, ipsius prophetæ manu, rex ille captiuus Amalechita in frusta conscinditur. Alius quidam rex Israëlis contra mandatum Dei pepercerat Benhadado regi Syriæ: ideoq; audit ex ore prophetæ; Anima tua erit pro anima ipsius: et populus tuus pro populo ipsius. Quæ profectò omnia talia sunt, vt non facile à quoquam verè pio eludi posse aut debere videantur. Loquor autem de ijs potissimum pœnis, quæ expresso Dei mandato constitutæ sunt: & de ijs flagitijs, de quibus ita certò constat, vt nullum de ipsis dubium esse possit. Nam in dubijs, aut vbi de sententia legis non satis constat; aut pœna quoq; ipsa legibus non expressa & definita est: ibi clementiam & ἐπιείκειαν quoq; probabiliter vsurpari posse & debere non nego. Cum autem, vt dico, neq; de peccato, neq; de pœna eiusdem quidquam potest dubitari; ibi omnem magistratus clementiam merito culpandam esse,

esse, eandemq; varijs postea tricis & impedimentis occasionem præbere, idem ego confirmo. Exemplo nobis sit vnum adulterium, antiquitus non diuinis tantum, sed humanis quoq; non paucarum Rerumpub. & gentium legibus, capitis damnatum. à quo ipso, vt ineptè & absurdè putabant, rigore postquam ab alijs discessum est; vide quæso quæ inconuenientia sint consecuta: quanta infinitis alijs sceleribus via & quasi fenestra sit patefacta. Fur exigui argenti, aut iumenti non valde precioſi capite plectitur. Adulter quouis fure deterior, vtpote qui ea furetur, quæ nullo precio reparari vnquam queant, dimittitur impunè, aut pecunia numerata elabitur. Sic fit, vt lege hac impunitatis quasi sancita, passim aliæ quoq; familiæ prius honestæ iam stupris & adulterijs paulatim inquinentur: deprauetur, aut etiam prorsus negligatur domestica educatio & disciplina: adultera in liberos & verum maritum capitale concipiat odium; quod sæpe deinde in veneficia aut cædes erumpit. Iudicia postea Ecclesiastica quæstionibus planè inextricabilibus implicantur. Scimus enim inductum esse à Canonistis diuortium à toro; sed non à vinculo

coniu-

coniugij. quid autem hinc subsequi soleat, nemo non videt. Disputatur deinde, an persona innocens possit contrahere matrimonium, viua altera. Præterea controuersia oritur an adultera, cui contra legem Dei vita relicta est, possit rursus contrahere cum alio. Disputatur deniq; de noua inter adulteros reconciliatione: atq; sic facilitate & indulgentia ista præposterа, ciuitates & familiæ, adulterijs & alijs sceleribus impuris & obscœnis implentur: & iudicia odiosis istis et perplexis quæstionibus numquam non exagitantur. Quod quidem ita fieri necesse est, cum homines ipso se Deo & mansuetiores & sapientiores esse studeant. Sed hæc quoq; de pœnis, earumq; necessitate & vsu, indicasse potius, quam integrè explicasse, hoc loco & tempore sufficiat. Quod autem in vniuersum hactenus de quarumcunq; Rerumpublicarum administratione, earumq; præmijs & pœnis dictum est; idipsum etiam de republica litteraria rectissimè intelligitur. Nam ibi quoq; sine præmijs & pœnis parum aut nihil proficitur: ibi quoq; facere iudicium & iustitiam cumprimis est necessarium. Iustitiam quidem; cuius propriè officium est, bonos, innocen-

nocentes, & in munere suo sedulos in fidem susçipere, amanter complecti, accuratè tueri, ab iniurijs vindicare, è periculis, si qua sint, eripere, deniq; eosdem modis omnibus iuuare & ornare. Iudicium vero, ad quod pertinet, impiorum & contumaciũ petulantiæ & audaciæ obsistere: spiritus eorum efferos comprimere: facinora & flagitia seuerè punire. Cumq; in hac parte magistratuum scholasticorum potestas non ita latis finibus circumscripta sit: vsitatum ferè in scholis est, vt vrgente necessitate aliqua iusto maiore, ad superiorum ferè auctoritatem & auxilia confugiatur: vt eorum robore interueniente, non solum pœnæ, quæ in facinorosos decernuntur maioris sint ponderis; verum honores quoq; & præmia, plus dignitatis & ornamenti præ se ferant. Mos igitur minimè nouus est scholis illustribus, in publicis honorum testimonijs conferendis, principum & magnatum auctoritatem & auxilium inuocare: vt candidati & alij auditores & spectatores intelligant, huiusmodi honores non tam inter scholarum pulpita & subsellia nasci; quam originem habere longè nobiliorem & sublimiorem. Si autem sceptrum

Aga-

Agamemnonis ab Homero commendatur; quod à Vulcano primò fabricatum, & Ioui datum, postea à Ioue opera Mercurij sit traditum Pelopi: à quo deinceps per manus Atrei & Thyestæ ad ipsum Agamemnonem peruenerit: annon etiam honores isti scholastici eodem nomine celebrabuntur? quod eos conferendi potestatem, Ordinis alicuius præses, quem voce Manilij Decanum vocant, accipiat à principis cuiuspiam aut præsulis vicario: vicarius ab ipso principe aut præsule, princeps aut præsul à summo orbis Christiani Monarcha Imperatore: Imperator deniq; ab ipso Deo. Nunc igitur, quod institutæ Orationis proprium est, assentior reuerende & doctissime collega petitioni tuæ. Cumque in honestissimo hoc doctissimorum hominum, & eruditorum adolescentium consessu, palam testeris, quinq; hos probos, modestos & doctos iuuenes, ita vitæ suæ innocentiam, cum eruditione non vulgari coniunctam, tibi & collegis, in examine tam publico quam priuato probasse: vt merito suo dignos eos censeas, qui in superiorem magistrorum ordinem cooptentur: ego in honestissimo hoc testimonio acquiescens, illustrissimi

simi principis & Domini, Domini Vdalrici Ducis Megapolitani, Principis Vandalorum, Comitis & propræsulis Suerinensis, Rostochiensium & Stargardiorum Domini, & inclytæ huius Academiæ Cancellarij, Domini nostri clementissimi, iussu & auctoritate, qua in præsentia, peculiari celsitudinis ipsius mandato, fungor, tibi M. Iohannni Posselio, Collegij Philosophici pro tempore Decano potestatem facio, quinque his eruditis & honestis viris, conferendi insignia magisterii Philosophici: eademq; opera, vos omnes & singulos Te N. N. creo & pronuncio, bonarum artium, vt vocant, Licenciatos: vobisq; potestatem accipiendi insignia & honores magisterii philosophici iam permitto. Deumq; oro patrem æternum Domini & saluatoris nostri Iesu Christi, vt deinceps quoq; studia actionesq; & vestras & nostras, ita per Spiritum suum sanctum regat & fortunet: vt quotidie nobis ipsis fiamus meliores: simulq; in doctrina & vitæ innocentia strenuè proficiamus: vt cuicunq; officio ille vel iam nos adhibuerit; vel deinceps quoq; adhibiturus sit; ante omnia sanctificationi nominis ipsius diuini, & nostræ aliorumq;

quam

quam plurimorum saluti, summa fide & vigilantia seruiamus. DIXI.

EIVSDEM,

DE MAGISTRORVM PVERITIÆ FELICITATE ET DIGNITATE, Oratiuncula, Rostochij in choro S. Iohannis habita, cum in classium progressione munuscula inter pueros distribuerentur. Anno 1584. Nonis Octobris.

CVm dentio in hac munusculorum scholasticorum distributione aliquid dicendum mihi sit: & satis omnibus constet, non temere, sed ratione officij me idipsum facere: non vtar iam vel excusatione vel insinuatione longiore. Sed potius ad rem ipsam, de qua paucis vobiscum hoc tempore agere constitui, me conuertam. Multi fuere, & procul dubio etiamnum sunt, qui labores hosce nostros scholasticos, ipsumq; adeo genus vitæ scholasticum mirificè contemnant, & alia vitæ genera ei quam longissimè præferant. Sunt etiam non pauci,

qui laborum & difficultatum pulueris scholastici pertæsi, querelas de ijs acerbissimas instituant: & pædagogorum miserias vehementer exagitent: atq; ita, vt dici solet, vincta propria cædant. id est Spartam quam nacti sunt magis deformandam, quam ornandam sibi esse censeant. Ego vero satius & conuenientius esse existimo, si quilibet genus vitæ, ad quod diuinitus vocatus est, magnifaciat: eiusq; dignitatem & necessitatem rectè consideret, agnoscat, & prædicet: coniunctas vero illi, si quæ sunt, difficultates, animi æquitate, & laboris constantia potius superet; quam de ijs conquerendo ærumnas et molestias suas ipse sibi augeat. Fieri enim non potest, vt quis officium suum fideliter, & cum aliorum fructu, id est libenter, assiduè, & cum conatu rectè & integrè omnia agendi faciat; qui id vel inuitus sustinet: vel de eo non honorificè sentit: vel eo non contentus, ad alia, vt putat, maiora & fructuosiora, sæpe etiam per fas & nefas adspirandum sibi esse credit. Quantū igitur temporis breuitas feret, conabor hac qualicunq; oratiuncula, rudi, vt aiunt, Minerua, præcipuas Functionis scholasticæ dignitates adumbrare potius, quam exprimere. vt

rẽ. vt aliqui hoc meo veluti indicio admoniti, honorificentius de hoc vitæ genere sentiant: eiusq; laudes vberius & splendidius, quam à me fieri potuit, persequantur. Optima & innocentissima totius generis humani pars est ætas puerilis, atque eadem Patri illi cœlesti, & domino ac Seruatori nostro longè carissima. Quod cum multis alijs è causis, tum vero ex hac manifestissimum est, quod puerulos ipse ad se vocat: eosq; prohibentes acriter obiurgat: & adductos ad se pueros, tanquam thesaurum pretiosissimum obuijs vlnis cupidissime amplectitur: et quasi cum ijs se oblectans, aliquandiu in sinu suo suauiter eosdem fouet: ijsq; manus imponit: suaq; benedictione discessuros fortunat: & talium esse regnum cœlorum ipse confirmat. Putabant quidem discipuli, magnam à puerorum parentibus Christo fieri iniuriam, qui nimirum non satis magnificè de ipso sentirent, dum opem ipsius, quasi ad maiora & sublimiora minus idoneam & sufficientem, ad huiusmodi vilia & contempta, puerosq; adeo infantes adhuc & pusillos reuocarent. Ipse vero Christus Seruator noster beneficentissimus, nequaquam se in-

filli isti nobis vilescant: quorum curæ & custodiæ purissimi illi Spiritus, angeli videlicet cœlestes diuinitus sunt præfecti: qui cum liberrimum semper ad thronum maiestatis diuinæ habeant accessum; profectò manifestum est, nequaquam impunè discessuros eos, quorum offendicula, & puerorum contemptus, his internuncijs ad Deum ipsum quamprimũ deferuntur. Pudore quoq; suffundi necesse est omnes illos arrogantes et fastuosos pueritię vel prę fectos vel ministros: qui aut officium illud suum nimis vile; aut ætate, doctrina, & meritis suis iudicant indignum: qui item fœtores & pulueres suos perpetuò exagitant: & aliorum beneficiorum et commodorum, quæ ex ijs percipiunt; item ærumnarum & miseriarum, quibus in mediocri hoc vitę genere, præ alijs in functionibus aliquantò illustrioribus constitutis, carent; cum silentio ferè altissimo obliuiscuntur. Quis enim eos audeat despicere? quos Christus non tantũ non despexit, verum tanto etiam in precio habuit, vt officia illis pęrstita sibi adscriberet: ipsosq; angelos custodes ijs & tutores præficere non dubitaret. Quis fœtore & puluere scholastico offendi se dicere audebit? cum intelligat, spiritus illos cœ-

lestes,

lestes, tanto robore & potentia diuinitus armatos, ijsdem nequaquam offendi: sed pueris perpetuò et libenter, etiam in scholis ipsis, adesse: eos contra diabolum & alios hostes defendere: & plurima damna et pericula ab ijsdem prohibere. Quis puerum, quantumuis paruulum, et fortunæ tenuis, ad se adductum aspernabitur? cum sciat eodem tempore quodammodo Christum ipsum sibi repræsentari? Quis autem Christum Saluatorem nostrum, qui tot mala quotidie à nobis auertit: qui tot tantisq; bonis nos cumulare nunq; desinit: qui tot probra et vulnera nostra causa sustinuit: quis, inquam, Christum ipsum non vlnis obuijs cupidissimè excipere; quis non quam diutissimè eum apud se retinere, quis eidem non tantum mundana hæc & fugitiua bona, verum vitam quoq; ipsam, & si quid vita ipsa carius & preciosius est, quam libentissimè velit impendere? Sed missis iam ijs, quę ex fontibus illis Israelis longè limpidissimis hausta à me esse animaduertistis, ad alia humanæ quoq; rationi minimè absurda me conuerto: ex quibus honestatem & dignitatem conditionis scholasticæ omnibus sensu, vt aiunt, communi non destitutis, demonstrari posse confido. Faciam autem idipsum concisè potius quam proli-

xè, cum in hac temporis breuitate, & hiberni frigoris initijs, moleſtus eſſe nemini cupiam. Inter omnes autem non planè ſtupidos conſtat, nihil in rebus humanis iudicari ipſa virtute honeſtius. hanc enim laudant, & perpetuo in ore habent ij quoq;, qui ab eius cultura ſæpe ſunt alieniſsimi. Quod ſi igitur virtutem honeſtam eſſe fatemur: quomodo ea quæ virtutem perpetuò præcedunt, & ad eam conſequendam vnicè neceſſaria ſunt, inhoneſta eſſe dicemus? Omnino autem virtutis & doctrinæ excellentiæ honeſtam educationem, doctrinam, aſſuefactionem & diſciplinam grauem & conſtantem, tanquam auroram ſoli, præire neceſſe eſt: quæ non alibi, quam in ſcholis publicis bene conſtitutis, rectius & commodius ſuſcipi & tractari, omnes intelligentes vnanimi conſenſu confitentur. Vitam enim ipſam à parentibus; ſed rectè & laudabiliter viuendi & ſapiendi rationem à præceptoribus tanquam parentibus animorum conſequimur. Prima autem educatione vel neglecta, vel perperam ſuſcepta, quid ſingulare aut egregium ſubſequi poſsit, non video. Eſt enim illa, omnis illius quod conſequi debet πρωταίτιον, ſeu cauſa primaria,

maria. Nam quid superstrues, si desit fundamentum? Aut an tibi minus bene de ædificio præclaro mereri videtur is, qui rectè iecit fundamenta; quam alter, qui illis iactis parietem, tectum & reliqua ædificij membra imposuerit? Mihi certè fidelis ille boni fundamenti curator, altero illo longè videtur laudabilior: cum sine fundamento, neq; paries, neq; tectum, neq; atrium, neq; cubiculum possint consistere. Et hæc ipsa similitudo ad sedulos & accuratos puerilium scholarum moderatores, aliosq; qui disciplinæ puerili plura deinceps adijciunt, quam rectissimè, meo quidem iudicio, accommodatur. Rem quidem efficacem, & nequaquam contemnendam esse naturam egregiam, minimè nego: præsertim si ea bonam quoq; & felicem institutionem nanciscatur. Sine cuius adminiculo, optimas quoq; naturas non rarò turpissimè degenerare notum est. Fideli vero & accurata institutione sæpe factum est, vt naturæ etiam vitiosissimæ corrigerentur & verterentur in bonas. Id quod Lycurgus aliquando duobus catulis diuersorum generum in forum productis Lacedæmonijs suis studuit persuadere. Erat autem alter catulorum

illorum natus ex genere canum venaticorum, qui præ aliis optimi & nobiliſsimi cenſentur: alter ex genere canum ignobili, eo nimirum qui in catenis fere ad ædium cuſtodiam aluntur. Effecerat tamen diuerſimoda educatione & aſſuefactione Lycurgus, vt canis hic poſterior, quantumuis ignobilis, ſed tamen ad labores venatorios maturè perductus, & in iis exercitatus, ad capiendum leporem ibidem à Lycurgo dimiſſum quàm celerrimè contenderet: cum alter ille genere quidem nobili ortus, ſed degener, quippe ad delicias & gulam implendam tantummodo aſſuefactus, lepore neglecto, ad ollam in publico poſitam, cum impetu ſe proriperet. ita quidem, vt generis egregii nullum plane indicium in eo appareret. Quo facto, omnibus patuit quântum primæ ætatis inſtitutio, cum ad meliora, tum ad deteriora haberet momenti. Quales enim naſcantur liberi, minimè in noſtra ſitum eſt poteſtate: ſed vt recta inſtitutio ipſis, qua è malis fiant meliores, contingat; id poſt auxilium diuinum, aliquo modo in ipſorum quoq; parentum, ſi ſapiant, voluntate & manu eſt. Iiq; quorum hac in parte opera vtuntur,

non

non possunt non, si sapiant dico, in animis ipsorum quam honestissimi & fide dignissimi censeri. Si enim thesaurum aliquem terrenum non cuiuis terræ filio, sed homini maximè integro, honesto & fide digno committunt: quidnam censes de eo sentient, quem dignum existimant, cuius fidei thesaurum omnibus gazis potiorem, liberos nimirum suos, audeant committere. Et certè qui ad hoc officium mediocriter idoneus est, et in eo bona conscientia versari elaborat; etiamsi in vulgi oculis non sit in tantum honorem, quantos alij consequuntur; tamen in conspectu Dei, & sanctorum angelorum nullo alio est inferior. Vtilitates quoq; quas tota aliqua Respublica, regio, regnum, imò sæpe etiam vniuersum mortalium genus ex huiusmodi laboribus percipit, tales sunt, vt precio nummario æstimari non possint. Quo enim precio comparabis medicamentum illud πάνχρηστον, veram pietatem dico, quam vnam ad omnia vtilem Apostolus prædicat? At huius semina ab ineunte ætate in scholis paulatim pueritiæ instillantur. Quo precio culturam animi, linguæ, & morum mercabere, præsertim iam adultus, &

ad hu-

ad huiusmodi culturam per ætatem minimè idoneus? At in his omnibus formandis & expoliendis scholæ laudabiles perpetuò sunt occupatæ. Et certè quantò animus ipsi corpori, & bona animi bonis corporis & fortunæ præstant; tanto labores scholasticos, in animi culturam potissimum intentos, alijs aliorum laboribus, & nobiliores, & vtiliores esse necesse est. Et quidem, quod supra quoq; quodammodo attigi, impenduntur illi labores, parti generis mortalium omnium pulcherrimæ & nobilissimæ, id est pueritiæ: quam si ex reliquis ætatibus iuuenili, virili, & senili eximas; perinde facias, ac si ex partibus anni, tempus vernum, quod præ alijs amœnissimum & formosissimum est, audeas eximere. aut si eandem negligas; futurum est, vt reliquarum quoq; ætatum vigori & præstantiæ plurimum decedat. Ex corrupta enim pueritia quales adolescentes, quales iuuenes, quales viri, quales deniq; senes erunt exspectandi? Certè si hinc aliquid præclari expectabis, non aliter facies, quam si veris temperiei frigidæ & pluuiosæ arbitreris opulentam æstatem, fructiferum autumnum, & genialem hiemem posse succe-

dere.

dere. vt enim, quod eleganter Poëta cecinit,

Si bene floruerint segetes, erit area dives:
Si bene floruerit vinea, Bacchus erit:

ita ex ea schola, in qua pueri præclarè fuerint instituti, prodibunt aliquanqo eruditi & bene morati adolescentes: è quibus, si non omnes, saltem nonnullos quoq; bonos viros, bonos patresfamilias, bonos ciues, bonos senatores, bonos consules, aut magistratus etiam quoscunq; (si modo fundamentis bene iactis reliqua superstructa fuerint) futuros esse verisimile est. Et certè si præsentis sæculi corruptelis & morum dissolutioni indomitæ remedium, quod omnes boni optant, adhiberi oporteret: profectò non id aliundè, quam à recta & commoda tam domesticæ, quam scholasticæ educationis & institutionis emendatione, & conformatione laudabili proficisci oporteret. Inprimis autem domesticam educationem multis modis vitiosam & corruptam esse, fatentur omnes; experiuntur autem ij quibus cum hoc genere negotium est. Sed hæc argumenti sunt alterius. Neq; enim tam de disciplinæ instauratione, quam de eiusdem, & præsertim vitæ scholasticæ dignitate dicere instituimus.

Est au-

Est autem rerum & possessionum quoque aliarum dignitas in eo potissimum fundata, si eæ magis publicè quam priuatim vtiles sint: & quidem quo illi ipsi vsus maiores sunt, & in omne genus mortalium latius se diffundunt: eo honestas quoque & dignitas earundem existimatur præclarior. Nemo enim vnquam eo nomine à viris intelligentibus laudem est consecutus, quod suæ tantum vtilitati studuerit, sua solummodo commoda auxerit, communibus aliorum vtilitatibus aut neglectis, aut etiam planè impeditis. Cyrus profectò ille Xenophontius διδοὺς μᾶλλον ἢ κλώμενος ἥδεται, id est largiendo magis quam acquirendo & possidendo delectatur. Egregium quoq; & inprimis honorificum est illud Lychno ardenti adscriptum boni Principis, imo Magistri quoq; symbolum; ALIIS INSERVIO: MEIPSVM CONSVMO: imo etiam longè honorificentius, quam si, aut hirudini, aut Lieni, cuius incrementum cæterorum omnium toto corpore membrorum decrementum est, hoc hominis auari, & in sua tantum compendia intenti symbolum adscribatur, MEIPSVM AVGEO: CÆTEROS EXSVGO.

Certè

Certè si Socrati illi, homini gentili glorioſum in hoc mundo fuit, quod, licet diſcipulos & auditores haberet multos opulentos & locupletes; tamen eorum diuitijs ne teruncio quidem factus eſſet ditior: an non etiam bono & fideli pueritiæ informatori, in veritatem potius, quam vulgi opinionem intento, & apud omnes bonos in hac vita; & apud ipſum Deum, & totam Eccleſiam cœleſtem in altera vita honorificentius & glorioſus eſt futurum? ſi ſua tenuitate æquiſsimo animo contentus, in commune laborauerit: bonisq; illis maximis, & nullo vnquam precio compenſandis, quam plurimos, (ipſe interim mundanis iſtis nequaquam inhians) cumulauerit. Quæ quidem ipſa bona talia ſunt, vt non tantum in hac vita præſtò & vſui ſint; verum etiam in vitam ipſam æternam, quam longiſsimè, atque adeo in infinitum ſe extendant. Plerique poſtremo hoc & auaro ſeculo tantum in opum acquiſitionem & cumulationem ſunt intenti: & hoc modo de liberis ſuis optimè mereri ſe arbitrantur. Verum illi paulo poſt (quid enim in tanta

tanta hac & tam angustis finibus circumscripta vitæ huius breuitate dici vel esse potest longum?) omnia illa in morte cogentur relinquere hæredi ignoto: & quo maiori cum animi & corporis cruciatu ea acquisiuere; quo maiori cum amittendi metu ea possedere; eo etiam maiori cum anxietate, & animi inquietudine eadem relinquent: & post hanc vitam, nullum ex ijs fructum, nullam leuationem sentient: sed insuper, nisi resipiscant, æternæ quoq; condemnationis mancipia perpetuis cruciatibus & angoribus obnoxia sunt futuri. Fidelis autem & Dei timens præceptor, etiamsi in re admodum tenui, labores sustineat quotidianos, & suarum quoq; molestiarum & difficultatum non expertes: sæpe etiam præter paupertatem cum honesto nomine coniunctam nihil vxori & soboli numerosæ relinquat: tamen in Dei prouidentiam, & vocationis suæ dignitatem, mercedemq; adeo in cœlo sibi repositam intuens, non solum animo longè tranquilliore vitæ huius miserias tolerare: sed maiori quoq; cum alacritate quam diuites ἄπληστοι ex hoc ipso ergastulo (vtpote sarcinis illis & remoris animæ diuitijs immodicis

dicis libertimus) emigrare Dei beneficio potest. Imò in alteram quoq; vitam translatus, ibidem laborum suorum, cum diuina benedictione susceptorum, fructus conspiciet & percipiet longè vberrimos. Quando, vt iam dixi, reipsa experietur, bona illa à se in hac vita cum alijs communicata, non tantum vitæ isti mortali vsui esse; verum etiam tales fuisse, vt in alteram quoq; illam sempiternam & immortalem vitam, in omnem scilicet æternitatem perdurarent. Possent equidem hæc, si pro rei dignitate explicanda & illustranda essent, tractari longè vberius & splendidius. Verum cum tantum hoc tempore propositum mihi fuerit summa sequi fastigia rerum; neq; cuiquam mea prolixitate molestus esse cupiam; mox finem de hac re dicendi faciam, vbi prius paucissimis id quod institutæ orationis proprium est indicauero. Scitis autem ideo nos hoc tempore conueniisse, vt habito iam examine autumnali, præmiola nonnulla distrubueremus inter eos, qui suam probitatem, diligentiam, & industriam, cum in ipso Examine, tum etiam in actione Comœdiæ tam examinatoribus, quam ipsis quoq; præceptoribus præ alijs probassent.

Constat enim, vt puto, vobis, ex simili, quem superiori anno hîc celebrauimus actu, clarissimum & prudentissimum huius Reipub. Syndicum, & primarium huius scholæ patronum, Doctorem Fridericum Heinium, pro liberalitate sua, certam & quidem annuam pecuniæ summulam eum in vsum largiri. Comparaui igitur ex ea in proximo mercatu Rostochiensi ista, quæ hic exposita videtis, munuscula, conditioni & instituto inuentutis scholasticæ maximè, vt spero, accommodata. Qui enim horologia ista & lychnuchos seu candelabra accepturi sunt, eorundem indicio, & hoc tempore, & deinceps quoq; quotiescunq; ea conspexerint, admonebuntur, diligenti scholastico, quam accuratissimam temporis & præcipuè matutini rationem habendam esse. Cum nihil eo sit precio sius; nihil, quod, vbi semel præterijt, minus recuperari possit. Et propterea, cum omnis alia auaritia turpis sit; solius temporis, cuius tamen pleriq; omnes maximè prodigi sumus, honestam auaritiam esse. Ne videlicet olim in eorum numero reperiantur, de quibus grauissimè Tibullus ait, Vidi iam iuuenem, premeret cum

serior

ſerior ætas, Mœrentem ſtultos præteri-
iſſe dies. Aut ne ipſi aliquando, cum
illo nimis ſerò ſapiente exclamare co-
gantur; O mihi præteritos reddat ſi Iupiter
annos. Ita codicilli ſeu pugillares, Atramen-
taria, thecæ calamariæ & arenariæ, item
Scriniola iſta eleganter depicta, & ſaccaro
vuisq; paſsis referta accipientes monebunt,
vt in lectionibus, ſacris concionibus, &
alijs cum hominibus ſe doctioribus collo-
quijs, ea quæ ἀξιομνημονεύτα & memora-
bilia ſunt, accuratè annotent: diligenter ſty-
lum exerceant: & quæ didicerunt, aut me-
moriæ infixerunt, eadem tanquam in rece-
ptaculo, aut ſcrinio bene munito fideliter i-
bidem cuſtodiant: et fructus dulciſsimos in-
de expectnt. Quod quidem ſi facient, ex mu-
nuſculis iſtis quantumuis puerilibus & exi-
guis, vtilitatem profectò percipient maxi-
mam, & omnium intelligentium iudicio
nequaquam contemnendam. Nunc ad
ipſam præmiolorum diſtributionem accede-
mus, in qua, propter diſcipulorum paucita-
tem (cum enim aliqui propter luem peſtilem
paſsim ſerpentem aut emanſerint, aut alio
ſe contulerint; aliqui etiam vitam cum mor-
te commutarint: progreſsionem aliquam ſo-

lenniorem instituere iam non possumus) non ętatis, aut ordinis rationem habebimus: sed per singulas classes, eos munusculis cohonestabimus, qui præ alijs bonæ indolis & spei nobis esse videbuntur. Donec aliàs, Deo volente, progressionem celebrare poterimus insigniorem. DIXI.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI.

M. NATHAN CHYTRÆVS.

MVltis equidem rationibus declarari posset, verissimum esse, quod à sapientissimo Plutarcho dictum est, τὰ τῶν ποιητῶν μυθῶδες οὐκ ἀφιλόσοφον εἶναι: sed sufficiet nobis in præsentia principis poëtarum Homeri Odyssea, in qua sub persona Vlysis, non tam virum sapientem & felicem, quam veræ sapientiæ & felicitatis studiosum adumbrari, homines doctissimi asseuerant. Hæc enim duo illa sunt, quorum alterum sub Penelopes, alterum sub Ithacæ nomine tantopere desiderat Vlysses: & ob quæ consequenda, tantos in mari turbulen-

bulento labores pariter & errores subire non reformidat. Comites habet in hoc studio nonnullos, sed qui in itinere ferè omnes deficiunt, partim gula, partim libidine, partim temeritate, partim alijs cladibus interempti. Ipse solus Sirenum cantus negligens, Circeia pocula contemnens, inter varia tandem maris pericula, voragines, scopulos, monstra & tempestates eluctatus, id consequitur quod tanto studio exoptabat. Non enim Poëtas cum hæc & similia confinxerunt, simpliciter locutos existimemus. Vtuntur illi similitudinibus rerum, & fabularum inuolucris, quæ vt animis hominũ gratiores esse solent; ita etiam penetrant facilius, & ijsdem inhærent firmius. Vlyssеum autem hoc figmentum, quàm concinnas quæso vitæ humanæ imagines nobis proponit? Vita enim hac nullum est fretum difficilius, nullum æquor turbulentius: in eo sapientiæ studiosi inter varia impedimenta conflictantur. Primum ipsa ætas iuuenilis lubrica est: pauciq; inueniuntur, qui in itinere tam difficili non labantur. Alij enim laborum impatientia & ignauia: alij gula & voluptatibus, alij aliter ab incœpto retrahuntur. Deinde bonis etiam & ali-

quousque progressis tenduntur insidiæ, quales sunt illæ optimorum ingeniorum pestes, improborum consilia, æqualium exempla, propositæ ad peccandum illecebræ. Hæc sunt illa virgineo vultu suauiq; voce blandientia, sed perdendorum hominum auidissima monstra: hæc saxa, in quæ cum fame et fortunarum discrimine quam plurimi impingunt: hæ voragines, quibus non rarò incauti adolescentes implicati miserrimè absorbentur. Inter hæc omnia Vlysses ille noster, Deo duce, & rationis gubernaculo vtens, inuictus, Sirenum blanditijs aures obstruit: contra Circes pocula Mercurij auxilio se præmunit: & procis tandem omnibus, id est, varijs animi perturbationib. & cupiditatibus subactis, ad Penelopen venit, quam tantopere desiderabat. Vtinam hæc imago nostris quoq; adolescentibus assiduè ob oculos versaretur, vt inde & de periculis, & de officio suo commonefierent. Plurimos enim indole & ingenio præstantes, qui & fundamenta bene iecerunt, & satis feliciter sunt progressi, incœptum tanta cum laude & expectatione curriculum, turpiter deserere magno cum dolore quotidie experimur. Non autem cœpisse benè lau-

nè laudis est; nisi idipsum quod cœperis feliciter absoluatur. neque ingenium tantum in studioso, sed etiam ἀνδρεία quædam & animi firmitas requiritur, quæ impedimentis omnibus resistat, & incœptum fortiter vrgeat. Videmus equidem adolescentes à parentibus sæpe non male educatos, postquam in Academiam, tanq; bonarum artium mercaturam missi sunt, plerumq; more Vlysis in Lotophagos primum incidere. Quid autem sub Loto illa dulcissima, quam qui gustabant, retrahi ad suos nulla ratione poterant, quid, dico, intelligetur aliud? quam Libertatis amor stultum qui decipit orbem: qui vbi primo iuuenum animis, freni impatientibus instillatus est; nunquam aut ægrè admodum à Lotophagorum sodalitio retrahuntur. Optimum ergo fuerit, initio statim teneram ætatem à talium consortio quàm diligentissimè arcere: μή πω τις λωτοῖο φαγὼν νόστου λάθηται. A Lotophagis ad Cyclopes deuenit Vlysses, barbaros illos, & Dei atq; hominum contemptores: qui quàm multos nostra etiam ætate Vlysis socios, id est sapientiæ veræ studiosos à proposito itinere abducant, suoq; contagio perdant,

nemo, nisi omnium rerum ignarus, non animaduertit. Deinde ad Læstrigonas ἀπὸ τῆς λησταίας dictos deueniunt, qui humano sanguine gauderent: & ex socijs Vlyssis aliquos verubus transfixos et assos deuorarent. quo & tyranni Musarum hostes significantur, qui non solum ipsi nihil ad conseruanda sapientiæ studia conferunt: sed etiam quæ à maioribus pietati & litteris donata sunt diripiunt, & in earum cultores famæ ferroq; sæuiunt. Qui ab his superfuerant, vna cum Vlysse ad Circen appellunt. quæ cum & impudica esset; & pedi sequas haberet gulæ & deliciarum ministras: inq; aula eiusdem luxu omnia diffluerent: socii Vlyssis in porcos scribuntur esse commutati. Circumspicite quæso, & mores hominum paullò attentius considerate, & videbitis profectò tales μεταμορφώσεις adhuc fieri quotidie. An non vidistis aliquando adolescentem aliquem ingenuum, qui ex honesta & sobria parentum disciplina in Academiam veniret animo & corpore integer, moribus compositis, ingenio discendi cupido: qui etiam menses aliquot præceptoribus obtemperans modestè viueret: suum officium faceret diligenter: diceres, e-

res, eum non hominem tantum; sed etiam hominem elegantem & eximium esse. Si post paucos saltem dies eundem videas; adeo & animo & corpore est immutatus, vt non cognoscas eundem esse. Qui autem hoc fieri dicam? Lotum illam licentiæ θέλγητρον primo degustauit: cuius dulcedine captus, cum seipsum retrahere non posset; paullatim Cyclopibus factus est propinquior: qui ex pio impium, ex sedulo ignauum, ex eleganti barbarum, ex culto agrestem fecerunt: donec tandem Circes etiam poculis & intemperantia dementatus, planè in porcum conuerteretur. Quid enim homines temulenti & libidinosi à suibus differunt? nisi solum hominis imagine: quam ipsi tamen fœdè & improbè sua ἀσωτίᾳ deformant. Præterquam enim quod totum corpus suum turpissimè debilitant & dehonestant; manibus quoq; interdum pro pedibus, instar quadrupedum, abutuntur: vt ipso illo gestu indicent, se immodicis illis escis & potationibus quasi in hara saginatos, non amplius homines esse; sed in porcos degenerasse. Quid hic Vlysses? ille herba à Mercurio monstrata, temperantia nimirum seu σωφροσύνη, quæ reuera σώζει τὴν

φρόνησιν, artes Circeias eludit: nec patitur voluptatum illecebris à vero virtutis tramite se abduci. Vtinam verò ea etiam nostra ætate porcorum esset conditio: vt tandem in priorem formam redirent: quod Vlyssis socijs accidisse scribit Homerus. sed plerique Plutarchi Gryllum imitantur, qui cum semel belluino illi sodalitio assueuisset, porcus quam homo esse malebat. Quid de Sirenibus dicam? quas Athæneus libro primo scribit ea Vlyssi cecinisse, quæ maximè ipsum delectarent: quæq; ad ambitionem & plurimarum rerum scientiæ laudem essent accommodata. in qua sententia videtur esse & Xenophon. Vlysses autem ne quid tale, quod φυλαυτίαν augeret, audire cogeretur: primo sociis aures cera obturauit: deinde sibi vinciendas curauit manus & pedes: vetuitq; se solui, etiamsi forte postea cantus dulcedine fascinatus, eò nauim dirigere iussisset. Quo quæso quid aliud sapiens poëta significare voluit? quàm sapientiæ studioso velis & remis falsam scientiæ persuasionem & arrogantiam esse fugiendam. Multi enim ad veram virtutem & eruditionem peruenirent; nisi se iam peruenisse putarent. Quicunq;

cunq; autem huic vitio non maturè occurrunt; illis tandem accidit, vt & florem ætatis summo cum dedecore amissum doleant: & insuper in Scyllam & Charybdim Sirenum blanditiis allecti incidant: atq; ita famæ & fortunarum naufragia patiantur. Vitent itaque adolescentes studiosi pocula Circes, ignauiam & intemperantiam: fugiant Sirenum cantus, id est, φιλαυτίαν & falsam scientiæ persuasionem: tanquam duo pestifera studiorum venena: quorum illud impedit initia; alterum obstat progressioni. Quadam etiam fortitudine omnibus illecebris & insidiis repugnent: vt tandem cum Vlysse veræ sapientiæ compotes, dulcissima glorioßissimaq; victoria potiantur. In hoc autem ipso sapientiæ & virtutis curriculo cum aliquot honesti & eruditi adolescentes ita se gesserint, vt enumeratis iam studiorum impedimentis superatis, pæne ad metam aspirare videantur: dignissimi illi habiti sunt, qui proximo Augusto vel Septembri laurea magistrali à nobis ornarentur. Id quod publicè significandum esse duximus, vt si qui præterea iuuenes & vitæ innocentiæ, & mediocris eruditionis sibi conscii, se illis vellent

adiun-

adiungere, sua proximis quatuordecim diebus nomina apud me profiterentur. Illis ego & meo & totius collegij nomine, omnia veræ beneuolentiæ & humanitatis officia ex animo polliceor. Rostochij Kal. Iunij, Anno CIↃ IↃ LXXIII. Sub sigillo Decani.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI,

M. NATHAN CHYTRÆVS.

S. D.

CElebria sunt apud veteres cùm historicos tùm poëtas, maximè apud Pindarum, certamina Eleorum Olympica, Delphorum Pythia, Corinthiorum Isthmia, Argiuorum Nemea; in quibus, si quis post varia multorum annorum progymnasmata, diuturnosq; palæstræ labores, victor tandem, non sine sudore, extitisset: is coronam tum consequebatur: eamq; vel ex olea, vel pomo, vel apio, vel pinu, pro vt loci ipsius diuersitas, & victoriæ celebritas requirebat. Ea autem corona non à quouis terræ fi-

ræ filio, sed ab ipsis athlothetis, spectatissimis iudicio & innocentia viris, victoribus imponebatur: idq; in loco publico, magna vndiquaq; confluente hominum multitudine. Et quidem tanti suum illum termitem oleaginũ Elei in Olympicis fecere; vt præter ingenuos, legitimisq; parentibus natos, ad certaminis illius sui societatem admitterent planè neminem. Eadem in exercitijs studiorum liberalium, tanq; in palæstra ingenij, etiam nunc quoq; ratio obseruatur: in quam merito quodam suo, ij tantum erant admittendi, qui diuinæ illius auræ particulam, mentem scilicet generosam & legitimam ostendere, & à supposititij fœtus turpitudine possent vindicare. Tali igitur animo qui sunt; quiq; labores in studijs suis diuturnos & grauissimos sustinuerunt: & metæ diu desideratæ paulatim iam appropinquant: ijs ad præmia quoq; sua aspirare, & victoriæ palmam à magistris & præceptoribus petere concessum est: ita tamen vt prius in quæstione habiti, specimen suæ eruditionis edant: seq; suo labore, qui, vt Euripides loquitur, Εὐκλείας pater est, honores huiusmodi promeritos esse testentur. Ego igitur, cum collegij philosophici hoc tempore quasi Agonothe-

ORATIO FVNEBRIS

De Illustrissimo principe ac Domino, D. MAGNO Duce Megalburgensi, &c. scripta & recitata ab

ARNOLDO BVRENIO

pietate debita bono Principi, & de Repub. bene merito,

Anno M. D. L.

ETsi hoc tristi Reip. nostro tempore, & immatura hac & non expectata optimi Principis morte, necesse est honestos atq; prudentes, qui magnitudinem detrimenti, quod toti huic ditioni accidit vident, sic commoueri & perturbari, vt neq; vocis officio, neq; mentis consilio decorè constanterq; vti possint, vel in animi sententia commodè explicanda, vel in re, quæ huic loco atq; tempori conuenit, perspicienda: tamen cùm excellens amissi Principis virtus, singulare in Rempub. studium, maxima in Ecclesiam merita, & nostra officia, quæ

quæ illi pro plurimis in nos beneficijs debentur, efflagitent, vt significationem animi erga ipsum non ingrati, & vocem nostri amoris & desiderij testem hoc loco edamus: cumq; illi nobis hoc oneris imponant, qui & dignitate & prudentia cæteris omnibus in hoc cœtu longè antecedunt: & idem nostri officij ratio moneat: sequar, vt possum, Principum autoritatem, & illustrium virorum iudicium, nostriq; muneris legem. etsi recente luctu, & hoc tanto Reipub. vulnere me ita affligi, & exanimari sentio; vt nihil aut tanti Principis laude dignum, aut vestræ exspectationi gratum, hoc tempore in medium me afferre posse confidam. tamen malo officij pondere, & muneris difficultate, hoc loco in conspectu omnium me obrui; quam apud tot tamq; illustres viros, in crimen neglecti officij, tum pij, tum etiam necessarij, venire. Quis enim adeò sui est immemor, & tantopere dissolutus? vt à talibus viris non in optimam partem cognosci valdè cupiat, & vehementer laboret? Quapropter precor, vt vestra lenitate & beneuolentia mihi laboranti clementer succurratis: & me onus meis viribus longè maius sustinentem, benignè subleuare ne grauemini: dum hoc

munere fungor, quod vt videtis, non animi leuitas & ambitio, sed bonorum autoritas mihi imposuit. Etsi hoc loco, qua quisq; familia, & quibus maioribus ortus sit, primum pluribus exponi, & narratione & apparata, & prolixa demonstrari solet: ego tamen nihil de generis splendore, nihil de familiæ gloria, nihil de maiorum ornamentis, etsi illa eximia sunt, & plena dignitatis, hoc tempore dicendum mihi constitui: quod in re ita manifesta, & in conspectu omnium mortalium posita, orationem consumere in luctu & vero dolore intempestiuum est. Sed primum de religionis studio, de rerum sacrarum amore, de iustitiæ cultu, & cæterarum virtutum laude extincti principis nonnihil dicam. Deinde quam læta principia, & præclara initia sui magistratus dederit, in ea Reipub. parte, quæ illi gubernanda diuinitus obuenerat; & quam piè, quamque feliciter ex hac vita discesserit, paucis attingam. quæ dum breuiter recito, quæso vt & gratitudinem erga ipsum principem nobis ereptum, facilitate audiendi declaretis: & sapientissimi patris luctum hoc officio lenire studeatis.

Sapien-

Sapienter optimus princeps iudicabat, omne virtutis decus, & honestatis pulchritudinem, à stirpe religionis Christianæ, & fonte timoris diuini efflorescere & manare. Quapropter à tempore ætatis, quo aliquid videre & sapere cæpit, nihil ille prius scriptura sacra, nihil antiquius verbo Dei habuit. hoc vnicè admirabatur: hoc religiose colebat: non facilè diem ille elabi patiebatur, cuius non aliquam partem, vel lectioni diuinæ, vel Christi doctrinam proponenti tribueret: rectè existimans in hac mundi caligine, & cæca nocte, sine verbo Dei prælucente, & diuina illa lucerna facem nobis præferente, nihil ab hominibus satis agnosci & clarè cerni, quod vel ad animæ salutem, vel ad officij rationem pertineat. Vt enim à solis lumine cætera sydera suam lucem & splendorem mutuantur; ita statuebat, mentes humanas omnem animi lucem qua valerent, vereq; pia & honesta cernerent, à sole diuini verbi, & aurora ipsius Euangelij accipere & habere. Igitur laborauit, vt istud præclarum organum & diuinum instrumentum, quod nouæ lucis in pijs est origo, & omnis pulchri atque honesti, & iudicij veri atque con-

stantis causa habetur, ad munus sui magistratus afferret: sine quo nulla officiorum momenta in vlla vllius prope vitæ parte, satis rectè ponderantur, & religiosè diriguntur: vt illa tanquam diuina quadam regula, primum sua omnia priuatim & publicè agenda, vt res atq; locus moneret, perpenderet & gubernaret: deinde eandem se queretur in cæteris partibus, cum de popularium vita & moribus, dictis & factis esset cognoscendum. quæ vt grauiter sapienterq; peragantur, quis non intelligit, huiusmodi regula de cœlo delapsa opus habere? O consilia plena pietatis! & cogitata verè diuina, & ad felicem Reipub. gubernationem prudenter instituta! Sic præparari eum, qui in amplissimo dignitatis gradu esset collocandus, parerat: talibus illius animum atq; mentem studijs & negotijs occupari oportuit, qui Reipub. aliquando custos, & moderator salutaris futurus sit. O miseram hanc patriam, & infelicem Rempub. cui tantum decus, tamq; illustre ornamentum ante pæne ereptum est, quam ad Reipub. clauum, & imperij munus adhiberetur. Quis non sentit? quam hic grauis nostræ ditioni casus;

quam

quam acerbus Ecclesiæ; quam luctuosus bonis omnibus: quo tantam fortunam, tamq; certam salutem ex manibus ipsis amisimus. Quam huius dissimiles proh dolor magistratus & principes plerosq; nostra secula vident! qui nulla illius cœlestis doctrinæ cura tanguntur: qui nihil pium admirantur: nihil diuinum volunt: sed vt sunt impuri & blasphemi, pietatis studia superbè rident: et veræ religionis cultum impudenter aspernantur: & quidquid sibi & suis ad animæ salutem, & vitæ honestatem ex bonis necessarium intelligunt, hoc omne maximè detestantur, & pertinaciter oderunt: interim suam libidinem naturæ & Deo repugnantem petulanter sequentes. quam hoc & miserum & indignum! populo Christiano ducem præesse, qui non solum rudis sit verbi diuini, & Christianæ institutionis; sed etiam manifestus hostis ipsius Dei, & Christi facto reperiatur? cum & magistratus & Respub. Deo autore constitutæ sint, vt illius verbum in ijs celebretur & dominetur: posterisq; purum atq; illibatum relinquatur: ne diuini nominis honos & cultus, & Christi prædicatio & gloria obscuretur. Apud Persas in Republica à vera reli-

gione atq; pietate remota, non rex designabatur, qui non magorum disciplinam rectè percepisset; & eam sancte coleret: & apud nos, in populo Dei, & Ecclesia Christi multis locis dominantur, qui cum Deo & Christo Gigantum more bellum gerunt: et eius populum et ecclesiam, pro qua mori, si pij essent, debebant, igne, aqua, ferro, crudeliter deuastare, & funditus delere aggrediuntur. Quare non iniuria Princeps pietate & religione tam rarus nobis ademptus, graue sui desiderium nobis reliquit. qui vt doctrinæ Christianæ admiratione, & religionis studio inter magistratus præstabat; ita etiam iustitiæ laude, & æquitatis pulchritudine, præter cæteros ducebatur: quod hanc virtutem, vt erat sapiens, videbat seminarium esse omnis bonæ fortunæ in repub. ciuili: hac societatem hominum inter se cohærere: hac inter ciues concordiam, inter vicinos populos pacem, confirmari & stabiliri: hac culta & seruata inter illos commercia perpetuò vigere, & contractus sanctè seruari: ipsumque Principis corpus non tam aut purpuræ elegantia, aut gemmarum diuitijs, aut auri splendore decorari; quam animum magistratus Iustitiæ

ſtitiæ cultu & æquitatis obſeruantia. Quapropter illam, vt certam reip. ſalutem & numen quoddam, quo & ciuitatis fortunæ & hominis honeſtas niterentur, colebat & ſequebatur: & hoc quidem ab adoleſcentia vſq; diligenter cauebat, ne ab huius virtutis curriculo, & tanti boni ſemita conſulto deflecteret: ſed vt intra eius terminos & cancellos, ſe ſemper, vt viro laudato & probo dignum eſt, contineret: huius officia in omnibus vitæ negocijs & partibus erga omnium ordinum homines, ſuos & alienos, ſuperiores & inferiores, ſanctè conſtanterq; ſeruabat. Hac iuſtitia & pietate quam carus acceptusq; Principi parenti fuerit, illius elogium, quod filio mortuo, tempore huius funeris tribuit, ſatis declarat. Conqueſtus eſt enim optimus Princeps, non ſine ſummo animi dolore, ſe amiſiſſe filium, à quo nulla re vnq; eſſet offenſus. Quam vero eximiæ pietatis? quàm excellentis iuſtitiæ eſt? hoc præſertim ſeculo, quo mores florentis ætatis ad nimiam lenitatem, et non ferendam petulantiam incubueruut, tot annos viuere cum patre, viro prudente et graui, et non claudicare aliquando in pietatis munere ipſi debito. In coniugem verò, quàm

illi Deus omnibus ornamentis & bonis, quæ in excellentem matronam, & principem fœminam cadere possunt, eximiam, & verè admirandam dederat, quanta æquitate, quanta pietate fuerit; ille incomparabilis animi dolor, quo eam oppressam esse cernimus, & immoderatus iste luctus, quo Principem suum mortuum prosequitur, satis arguit. Multa sunt quæ singulare iustitiæ studium, & heroicum animi impetum ad eam honesti partem, de qua dicimus, in illo demonstrabant, ex quibus vnum, vt nostri animi exturbatio & angustia requirit, celeriter percurram. Cum admodum adhuc adolescens esset, nec vllam Reipub. munus ipsi commissum foret: sensit querelas in aulam afferri de præfecto quodam arcis, cuius ius & gubernatio ad Magnum paulò post peruentura erat, quod aliquanto durior & iniquior in populares esset, quàm vel consuetudinis ius, vel humanitatis leges ferrent. Hìc adolescens dolore violati iuris, in causa paulò post ad se pertinente, accensus, arripuit autorem facti, & grauiter cum eo de iniuria popularibus facta expostulauit: & ipsum de antiqua consuetudine, & more veterum colendo, in ista reip. parte curan-

curanda, cui præfectus erat, non sine graui commonitione admonuit. Quis non videt, ex tali adolescentis facto summam ipsius honesti admirationem, & singularem iustitiæ amorem elucere? Illum ea ætate sic moueri æquitatis ratione, sic affici tenuium calamitate, manifestum profectò hoc & indolis generosæ, & naturæ ad pulcherrima quæq; propendentis signum & argumentum existimari oportet. Quotus enim quisq; eiusdem ordinis, & fortunæ adolescentium est, qui non potius voluptatum illecebris, & suauium & leuium rerum cura, quàm talium cogitatione ducitur? Verum sic ille erat, vnà cum ætate in eo æqui & boni studium augeri & adolescere vidimus. nihil ille rapinis peius odit: nihil latrocinijs grauius detestabatur: omnia deniq; scelera, quibus cum iusticia bellum est, iniquissimo animo ferebat, & tolli è repub. sine vlla mora volebat: quod, vt causa arborum & stirpium in seminibus inest; sic florentis reipub. & ciuitatis fortunatæ causam, in iustitiæ obseruantia, virtutisq; cultu sitam iudicabat. Quoties ipsum gemitu significare vidimus dolorem, cum audiebat aliqua huius ditionis loca, in ista magistratuum dissensione, & summi of-

ficii negligentia, latrociniorum infamia dehonestari? Næ ille, si summus magistratus ad ipsum peruenisset, istam ditionis maculam atque labem, quoquo modo à nomine sui imperii absterssisset: non ille virtutem, quam philosophus Lucifero et Hespero formosiorem prædicat, passus esset alicuius scelere ex repub. pelli: tantus in illo recti et iusti amor, tantumque in eodem omnis iniqui et praui odium inerat. Neq; ipsum cum illis laudatis iustitiæ simulacris veteris seculi, quod optimo iure possemus, hoc loco comparabimus: qui pauca solum ex illius ornamentis et laudibus procul tandem hîc ostendere voluimus. Quare ad cætera animi decora summi viri, vt locus atque tempus postulat, nos referemus: in quibus aliis prudentia præluce re videbatur: qua ita MAGNVS præstabat, vt difficilima reipub. negocia, et grauia admodum magistratus onera, sine magna difficultate sustinere potuisset: quod ingenii felicitate, et rerum experientia, et vario pro ætate ciuilium negociorum vsu plurimum valebat: talisque iam rerum cognitione euaserat, qualem hæc tempora, et hi mores reipub. gubernatorem,

rem, et populi Ducem efflagitare videntur. qui in omnes ditionis partes intentos oculos facilè conijcere; & procul mala ab his artibus emergentia, quas multas hæc ætas nouas didicit & exercet, cernere posset: & ijs in tempore occurrere: & ea à regni finibus auertere: contraq; bona alicunde sese offerentia, & procul accedentia ad se inuitare; & ad suorum possessiones pellicere: vt est prudentia animi oculus, in omnibus perlustrandis, quæ vel prosunt, vel obsunt, & publicè & priuatim acutus & perspicax: cuius non minor profectò autoritas in choro virtutum, quam est gubernatoris in cœtu nautarum clauum tenentis, & omnia agenda præscribentis. adeo quæque honesti pars, in actione virtutum, & sui muneris functione, illius & vocem & ductum sequitur. Neque aliter in re & publica & priuata, felices rerum euentus, & optati atq; læti consiliorum, quæ placuerunt, successus à prudentia oriuntur; quàm in corpore humano omnium partium sensus & motus ab ipsa anima existunt. qua virtute Princeps, quem nunc à nobis digressum lugemus, ita ornatus atque instructus erat, vt nihil in eius negocijs fortunæ,

nihil

nihil temeritati loci relinqueretur: sed omnia ita plena consilii, plena rationis, vt in florente illius adhuc ætate, quod non paruam admirationem & laudem habet, senilem prudentiam, & canam (vt sic loquar) sapientiam cernere posses. O leues & inanes mortalium cogitationes, & fallacem hominum spem! huius magistratum respub. expectabat, vt hoc infelici seculo sese illius prudentiæ curandam committeret: ab huius sapientia summum magistratum gerente, literæ consilium & auxilium huic suæ aduersæ & afflictæ fortunæ pollicebantur: quibus suam operam benignè promiserat, & pro præsenti copia satis animum & studium declarauerat: in huius tutela & liberalitate non parua spes Ecclesiæ erat proposita, in hac tyrannorum audacia, & infinita scelerum licentia. At nunc ista bona omnia, quæ non solum animo, sed pænè digitis comprehensa tenere videbamur, nobis nihil tale exspectantibus, tristi fato è manibus repentè extorquentur: vt hæc noua temporum impietas, exsecranda morum peruersitas, & nefaria præsentis mundi scelera merentur: è quo, vt videtur, Deus suos nunc non aliter euocat, quam olim ex

Sodo-

Sodoma: vt relictam colluuiem & fecem igne atq; sulphure sempiterno, vt digna est, consumat. Sed nos, vt de prudentia ipsius MAGNI pauca degustauimus; ita etiam de eiusdem moderatione quædam breuiter attingemus: qua illum mentes & oculos multorum in se, aliquanto ante, quàm tempus & anni ferebant, conuertere vidimus. quæ virtus non solum omnibus, quæ ab homine fiunt, dum ea prudenter temperat, & decore moderatur, represso nimio animi motu, admirabilem gratiam, & venustatem singularem addit: sed etiam reipub. cùm in magistratu inest, felicitatem multiplicem, & fructus innumeros gignere ipsam comperimus. Vt enim impotentes & præcipites Principum animi, mala accersunt Reip. permulta, & pericula non rarò suis creant: ita contra, moderati & graues magistratus, quod festinant lentè, vt prouerbio dicitur, & à modo non discedunt, celeri isto & cœco animi impetu refrenato, sapienter reip. prospiciunt, & ei salutem & felicitatem pariunt. Vt enim illi stultitiam & leuitatem in consilium rerum gerendarum adhibent; ita hi cum intelligentia & recta ratione de negocijs aut suscipiendis, aut fugiendis deliberant,

rant. Illi insipientiæ vocem, & temeritatis iussa per stultitiam audiunt, & cum calamitate sequuntur: at hi sapientiæ decreta, & prudentię consilium, intellectu duce amplectuntur: ijsq; non sine optabili rerum exitu obtemperant. quæ bona nisi animi moderatio in se contineret; non communi omnium testimonio, pulcherrima virtus prædicaretur. Hanc optimus ille Princeps à primis adolescentiæ temporibus in omni actionum genere colendam sibi proposuit: quòd eam, vt cæteris mortalibus omnibus, ad bene beateq; viuendum; ita & honore aliquo fungentibus, ad prudenter vtiliterq; rempub. gerendam necessariam esse duxit. hac sibi placebat: hac semper magnus fuit: sine qua nulla neq; dicta neq; facta veram laudem inuenerint: sicq; eam semper colebat; vt nullo tempore vlla in re, siue foris, siue domi quid ageret, eius obliuisci videretur. tantus moderationis amor & grauitatis admiratio in illo fuit. Neq; hîc aliquid dicam, aut de facundia ipsius MAGNI, qua inter claros viros bene dicendi laude præstitit: & aliquando regibus se commendauit: aut de cæteris illius virtutibus & animi ornamentis omni laude dignis: quod tem-

poris

poris ratio iubet, vt, illis omnibus omissis, paucis attingamus principia magistratus & specimen Imperii, quæ ad Rempub. delatus, optimo magistratu digna dedit. Verum reipub. pars, quæ illi perparua & exigua gubernanda obuenit, cum disciplinis & legibus teneretur ijsdem, quibus cæterorum Principum regiones: vt difficile esset eius gubernationem atq; disciplinam, à reliquarum partium præceptis institutisq; seiungi: tamen cum illorum moderatio, & propter temporis iniquitatem, & dissentientia magistratuum iudicia de religione, inæqualis esset: multisq; locis pontificiæ impietatis caligine, & veteris inscitię nocte oppressa iaceret: nec ad conspectum lucis doctrinæ Euangelicæ, iam longè lateq; exorientis erigeretur: tum Magnus, partes sibi suscipiendas, & in causa religionis prouehenda, & in gloria diuini nominis dilatanda, vidit & celeriter secutus est. Nam statim ex prouincia, quam nactus erat, errorum pontificiæ Ecclesiæ doctores, inscitiæ à maioribus acceptæ magistros sustulit: quibus ducibus insanis & cœcis, infelix populus, & misera plebecula, à veræ salutis via, & Euangelij aurora iam vbique illucescente, in

te, in manifestam exitij voraginem, & grauem æternæ mortis carnificinam recta abducebatur. Sustulit & eodem tempore ex ædibus sacris, & locis publicis, sacra omnia, quæ non à scriptura & autoritate diuina, sed à somnijs pontificum, & stultitia monachorum erant profecta: & curauit, vt pastores & verbi ministri eruditi, & rectè de religione Christiana sentientes, & in doctrina tradenda, & ceremonijs instituendis illis succederent, & populares ad purum Dei cultum, & ad veram suæ beatitudinis notitiam rectè erudirentur. Si iam acta cuiusq;, vt sermo animi character sunt; quod sanè tanto magis illa esse videntur; quanto facta, quàm verba, certius naturam hominis atq; indolem arguunt: quis dubitat? quin in hac Ecclesiæ constitutione, imago animi & mentis effigies ipsius Principis clarè expressa sit, & planè suo colore depicta: quæ eum tali religionis studio fuisse loquitur; qualis & ante à nobis adumbratus est. Vtq; Ecclesiæ per omnes ditionum partes, quæ Principum imperio parent, pari religione constituerentur, vehementer laborabat; rem ad Principum senatum, & omnium ordinum concilium, in comitijs harum ditionum

num retulit: & causam religionis, vt erat prudens & facundus, grauiter & sapienter egit: vt illa oratio in Parchamensi conuentu habita, satis testatur: qua Deo teste citato, & tota ditione, Principes de suo officio, & de malis Ecclesiæ tollendis admonuit: & suam operam ipsis in ea re obtulit: & si in præsentia admoniti non sequerentur; se tantum impietatis crimen à se amotum velle: ipsos desertæ Ecclesiæ, & religionis malè curatæ, Deo suo tempore rationem reddituros esse. Neq; hoc Principi de suo officio solicito ante satis fuit, quàm ex D. Martino, qui tum sacra pro dignitate Ecclesiæ, & pij theologi munere tractabat, literis quæsiuit, vtrum huiusmodi admonitione officio satisfactum esset: quo assentiente; in summi viri sententia acquieuit. Quo vno facto, quàm studium curandæ religionis, quàm animum iuuandæ Ecclesiæ declarârit, & quàm illustre signum piæ & rectæ mentis dederit; iudicent illi, qui de rectè factis veras sententias ferre didicerunt. Nec alia diligentia officia Reip. ciuilia gerebat, quàm qua religionis obibat: in qua administranda, omnia ad iusti imperij laudem, & ciuium suorum salutem, quoad eius fieri potuit, in

hac hominum malitia referebat. Iuris æquitatem, & iustitiæ præcepta in tota administratione Reipub. constanter, perpetuoque tuebatur. Non ille aliena rapiebat: non suis aliquid detrahebat: nec fructus imperij, & præmia magistratus, vt fatui & prodigi, nescio qua sorte regum sceptra & diademata adepti, solent, effundebat aut in leues homunculos, & aulicos assentatores: aut in cœnas nimis apparatas, & mensas exquisitis epulis immoderatè extructas: aut in varium vestium ornatusq; luxum, graui & laudato principi indecorum: aut in comitatum maiorem, quàm dignitas magistratus postulabat: aut in ædificiorum moles, magis ambitioni et vanitati, quàm vsui et splendori sapientis viri extructas. Nec ille suas fortunas, vel in aleæ scopulos, vel in sumptus, quos stultorum libido fert infinitos, proijciebat: & deinde pecunia effusa, & ære alieno graui conflato, à suis extorquebat, quo vel credita dissolueret: vel fœdam libidinem de more expleret. cuius petulantiæ & iniuriæ tot exempla Germania hac tempestate experitur; vt ne nomen quidem libertatis, qua aliquando nobilis & beata fuit, nunc ei relictum videatur, sed parsimonia & vir-

& virtute sua, ad honestum Principis vsum, & ecclesiæ & reipub. necessitatem prudenter asseruabat: nullas artes, nullas occasiones suos expilandi sectabatur: sed veteribus legibus, & maiorum institutis, quæ plusculum humanitatis & iustitiæ, & minus iniquitatis et auaritiæ prę se ferunt, rempub. gubernari volebat. Ista pecuniæ aucupia, quibus inopi plebeculæ pabulum ex faucibus prope extorquetur, & libidini magistratuum fortunæ quæruntur, quas malè collocent, vt rapinas, vt furta, vt sacrilegia odit & fugit. Intelligebat enim Princeps sui officij non imperitus, non se à Deo in istud honoris fastigium sublatum, vt ea omnia, quæ libido malorum nutricula monstrat & iubet, à popularibus præter ius ditionis, & reipub. consuetudinem, auferret, & sibi raperet: sed vt ipsius Dei in societate humana vicarius esset: suaq; diligentia, primum religionis Christianæ scientiam, & purum Dei verbum, in ea & celebrandum, & ad posteritatis memoriam propagandum seduló curaret: omnem & diuini nominis blasphemiam, & falsæ religionis impostura ex eadem tolleret: efficeretq; more & exemplo boni Principis, vt sui non sathanæ

signa, sed Christi vexilla sequerentur. deinde quo se & suos assuefaceret, vt æqua & bona, iusta & honesta sibi expetenda putarent, & constanter colerent. Hac officij ratione ductus, his deprauatis moribus, et corruptrice tempestate, sic diuina & humana curabat: sic verbi ministros, sic reliquos suos ciues respiciebat: sicq; illis pietatis & virtutum exemplis iam præibat: vt secum laudem omnis officij veram & magnam auferret: & nobis dulcem quidem sui memoriam, sed tamen graui cum desiderio coniunctam relinqueret. Et quemadmodum vulgò iactatur; talem cuiusq; ex hac luce discessum esse; qualis superioris vitæ consuetudo & mores fuerint: hoc illius à nobis abitio, qua hanc duram & difficilem vitæ conditionem reliquit, & in illud felicium animarum domicilium, & æternum tabernaculum se recepit, testari videtur. Nam cùm vltimum illud humanæ vitæ spacium, & postremum huius lucis tempus adesset, quo Deus eum ex statione muneris, in qua illum collocauerat, euocaturus esset: colloquio cum verbi ministro & pio & sancto placidissimè habito, in promissionib. de peccatorum remissione, de Christi beneficijs, & vitæ æternæ dona-

donatione acquiescens, sine vllo animi horrore, & aliqua trepidatione, cum magna fiducia misericordiæ diuinæ, & certa spe perpetuæ felicitatis, edito extremo spiritu in optata illa sanctorum loca, ex hac scelerum colluuie auolauit. Sic clarissimus Princeps, immortali vita inter homines dignus, si quid tale aut Dei voluntas, aut humanæ sortis conditio pateretur; magnus religionis antistes, venerandus iustitiæ sacerdos, prudentiæ gloria, moderationis & constantiæ laude singularis à nobis discessit: fortuna ipsi quidem optanda & secunda, sed nobis & acerba & aduersa. O difficilem humanæ vitæ conditionem! & seculum infelix & calamitosum! & fata hominis iudicio vero iniqua! quibus illi, qui gloriæ diuinæ, qui publicæ saluti & communibus omniũ commodis ex animo & volunt & studeant, primi nobis eripiuntur: & Ecclesiæ hostes, morum corruptelæ, & orbis terrarum exitia & pestes saluæ & incolumes, vt cœlum terræ misceant, relinquuntur. quod & hic acerbus nostri Principis casus, & luctuosissimus eius à nobis discessus nimis manifestè testatur.

Sed hæc iusta Dei iudicia, & sancta cœlestis patris decreta veneremur, & læti amplecta-

plectamur, quibus ad tempus illis sacrilegis parcit: & sibi caros & dilectos, ex huius vitæ fluctibus & procellis, vt malis liberati in perpetuum felices & beati sint, aufert: in quibus & hic Princeps cum cæteris felicibus animabus, Christi beneficijs & meritis nunc verè magnus & illustris est. cuius in virtutum memoria, & felicitatis præsentis recordatione, quæ sola de Magno nunc nobis relinquitur, vt acquiescamus cum quadam & delectatione & consolatione, honesti atq; vtilis ratio nobis præcipere hoc tempore videtur, quibus obtemperare nobis pulchrum est atque laudabile.

FINIS.

LE-

LECTORI.

SI fortè alias quoq; eloquentiss. huius Burenij orationes videre desideras: scito præter hanc omnes, quæ haberi hactenus potuerunt, uno volumine, eoq; non nimis magno, iampridem Rostochij à Myliandro nostro impressas esse, Anno 1579. Inde igitur si libet, comparare tibi eas poteris. Vale.

tamur, quibus ad tempus illis sacrilegis
cit: & sibi caros & dilectos, ex huius vi-
luctibus & procellis, vt malis liberati in
petuum felices & beati sint, aufert: in
bus & hic Princeps cum cæteris felicibus
mabus, Christi beneficijs & meritis nunc
è magnus & illustris est. cuius in virtu-
memoria, & felicitatis præsentis recor-
ione, quæ sola de Magno nunc nobis
nquitur, vt acquiescamus cum quadam
delectatione & consolatione, hone-
sti atq; vtilis ratio nobis præcipere
hoc tempore videtur, quibus
obtemperare nobis pul-
chrum est atque
laudabile.

FINIS.

LE-

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 038
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
UB Rostock
MS 1500
the scale towards document
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn100069433X/phys_0263